

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

32


P.C.N.
S.012
2445


22

F. Hyacinthi Trieb. procurator Elvaj in Germania anno

1782-

460





POSITIONES
EX
UNIVERSA
THEOLOGIA
IN
SYSTEMA REDACTÆ
QUAS

EX
PRÆLECTIONIBUS
RAPHAELIS UNGAR,
SACRI AC EXEMTI ORDINIS PRÆMON-
STRATENSIS REGIÆ ECCLESIAE B. V. M. IN
MONTE SION CANONICI, IN UNIVERSITATE PRA-
GENSI SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, APUD FACUL-
TATEM THEOLOGICAM EXAMINATORIS REGII, AT-
QUE IN STUDIO GENERALI UNITORUM ORDINUM
PRÆMONSTRATENSIS, ET CISTERCIENSIS THEOLO-
GIAE DOGMATICÆ PROFESSORIS SENIORIS
ET ORDINARII,

ET
PLACIDI PRESL,

SACRI AC EXEMTI CISTERCIENSIVM OR-
DINIS IN REGIO MONASTERIO B. V. M. DE
WELLEHRAD PROFESSI, IN UNIVERSITATE PRA-
GENSI APUD FACULTATEM THEOLOGICAM EXAMI-
NATORIS REGII, ET IN STUDIO GENERALI UNITO-
RUM ORDINUM PRÆMONSTRATENSIS, ET CISTER-
CIENSIS THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFES-
SORIS ORDINARII.

PUBLICE PROPUGNABIT
IN
ECCLESIA
CANONICORUM
PRÆMONSTRATENSIVM
VETERO - PRAGÆ
AD
S. NORBERTUM
REVERENDUS PATER
ANSELMUS DEMEL,
SACRI ET EXEMTI ORDINIS CISTERCIENSIS IN RE-
GIO MONASTERIO B. V. M. DE PLASS
PROFESSUS.
ANNO M. DCC. LXXIX.

Mense Augusto die hora ante meridiem octaua.

CUM APPROBATIONE CENSURÆ CÆSAREO - REGIÆ.

4015



MAGNO ET CELEBERRIMO
ORBIS EUROPAEI
THAUMATURGO
CHRISTI MARTYRI
GLORIOSISSIMO AC INVICTISSIMO
DIVO
JOANNI
NEPOMUCENO,
BOHEMIÆ
TUTELARI ET PATRONO
POTENTISSIMO,
FAMA PERICLITANTIA
DEFENSORI
FIDELISSIMO
AC
PATRONO MEO SINGULARISSIMO
D. D. D.

3380

ОМІЛІЯНІЧІСЬ СІДАМ

СЕВІРІЯНОВІ

ОДЕСУЩАНАТ

ІНГАМІЧІЯНО

СІДАМ СІДАСІЧІ

ДІАД

СІДАМ ОІ

ОІДІЧІСЧІ

СІДАМ СІДА

СІДАМ СІДА МІ

GLORIOSISSIME
ET
INVICTISSIME
M A R T Y R
BONI NOMINIS
ADVOCATE FIDELISSIME
ET
POTENTISSIME
PATRONE MI SINGULARISSIME!

Per trieteridem in ameno Theologorum degens Athenæo, quæ in eo ratione consequi licuerat mea, juris tandem ut facerem publici, Suavissimo Præfulis mei Amplissimi Patris denique Optimi sanctum est imperio. Huic morem gero Iubentissime: ast minus perspicax, ea rescientiæ conscius parvitati, ubi exquitem levamen, in cuius me transcriberem clientelam, a quo efflagitarem opem, ex

Eodem cognovi infimus filius , quum
quinquagenariis **TUÆ** Apotheosis **DIVE**
NEPOMUCENE Solenniis , quum in-
quam Inclita Bohemiae Natio insignem
simul **NOMINI TUO** Sacrum agebat
Diem , aderat & Ille , ac Sanctissimis subiji-
ciens lacertos Exuviis **TUÆ** se plenissi-
me tradiderat tutelæ.

Jucundo valde introitu ad **TUAS**
adpello **Aras MAGNE SANCTE!** patet
quippe via omnibus latissime. Et quan-
quam potius admiratione **TE** coli , &
silentio oporteat prædicari ; est enim ad-
miratio præconium gloriæ , & silentium
fidus interpres magnitudinis , tacitus ta-

men

men heic præterire non valeo, quæ jam
in ortu conspicua fese dedere tuo. Vix
natus, cum ex sterili Parentis utero in
hancce prodires lucem, non tam naturæ,
quam cœlicum Dei opus quodammodo
videbare. Ita profecto: tale TE admira-
bilis fiderum prodidit splendor ad opacas
profundæ noctis caligines super paternas
diffluens ædes. Nam Genitores pien-
tissimi, quorsum prodigium tenderet,
explorantes dein, signum didicere pro-
gnosticum Sobolis Deo acceptissimæ, quam
Numen Divinissimum in amplificationem
fidei, & exaltationem Religionis nostræ,
peculiari destinavit providentia.

Procedente deinceps ætate procedebas de virtute in virtutem adeo, ut plurimos traxeris in sequelam, in admiracionem omnes; tantum enim abfuit, ut unus aliquis cerneretur TE pietate celebrior, ut potius omni ad egregium facinus, & ad perfectum in Deum amorem facem TU prætuleris.

Tantis virtutibus ut sociares scientias, moderata exæstuabas cupiditate, iisse adquirendis inhiabas perquam docilis. Proficiscebaris igitur a Parentibus unicum solamen eorum. Verum quo eventus? auspicatissimo sane. Ceteras ut silentio oblitterem Musas, omnium domina prodigat

eat, & sese Divina spectandam in TE
præbeat Imperatrix Theologia , cui reli-
quæ ancillantur scientiæ, eam indefessa
perlustrasti opera, abstrusa ejus investi-
gasti adyta, quæ plus quam humano co-
gnosci poterant intellectu, **TUA** penetra-
sti, subtilitate.

Indeptus jam præclaram rerum divi-
narum notitiam ignorantes erudiebas ver-
bo, errantes ad pie vivendum invitabas
exemplo, scripturas aperiebas divinas
Præco Zelosissimus. Animas, quæ in
scelerum cæno volvebantur miseræ, in
spem veniæ non erigebas solum, immo
& reconciliabas Factori suo Pœnitentia-

rius, panemque Angelorum' porrigendo
reficiebas, confortabasve Sacerdos Altis-
fimi. Integritas dogmatum, ut tenere-
tur, Divinus stabas Theologus. Pro in-
columitate Religionis Catholicæ, legum-
que Dei observatione ad mortem usque
decertasti Athleta invictissimus.

Ad TE ego Martyr Gloriosissime,
qui a nemine oculos avertis, Positiones
Theologicas dextera tenens confugio, co-
ram Tua provolvor Sanctitate, scio enim
& deliciose compertum habeo experi-
mento, singula, quæ prosperrime evene-
re mihi, TE opitulante evenisse. Atqui
& aliis: testantur id suffixa in tholis ana-

the-

themata, Tuam potentiam prædicant, clientelarem comprobant erga TE pietatem, pro beneficiis obtentis grati animi demonstrant contestationem. Nullus eorum frustra opem implorarat Tuam, quis enim est, qui Tuum non sensit Patrocinium? hauris videlicet ex illo fonte Divinitatis tantum bonorum, quantum capere cum Ipse non possis, facile possis in alios transfundere.

Respice & intuere Clientem Tuum devotissimum neque de auxilio præsummentem, nec diffidentem, & dum causis Scholarum dica impingetur, fac, Te juvante, difficultates emolliam adversas,

vincam insurgentium argutias, sique partam TUO NOMINI subscribam victoriā.

Vota porro ad TE facio Thaumaturge Sanctissime, Patronē mi Singularissime ! oroque : Fortunatum Cœnobiarcham Reverendissimum diutissime fospitem ac superstitem tueare, Filialeque Plasii Tuo potentissimo apud Deum protege Patrocinio , quod una mecum paucas has pagellas in æviternum Venerationis defert monumentum. Id instantissimis precibus oro & opto

SANCTITATIS TUÆ

cultor æternum devorus
P. Anselmus Demel,
Professus Plasii,

EX
THEOLOGIÆ ISAGOGE.

I.

Ens quoddam supremum, fontem & principium entium omnium, hoc est, Deum existere, omnis clamat creatura. In mundo ubique resurgent perfectiones illius; ex quarum consideratione movetur mens humana quælibet ad suscipiendas actiones quaspiam, quæ officia hominis appellamus.

II.

Officia hæc, quoniam in ipsa natura hominis, & præstantia divinarum perfectionum fundantur, & omnibus hominibus cognita & perspecta esse debent, nullique mutationi sunt obnoxia.

III.

Collectio officiorum hominis erga Deum est religio; proinde omnes ac singuli homines religionem habere tenentur, tantaque est hæc obligatio, ut ne unus quidem hominum, sive ab omni humana societate remotus vivat, sive inter homines emineat, eximi vel ab ipso Deo possit.

IV.

IV.

Porro non necessaria modo, sed & admodum utilis est hominum societati religio, *nihil enim*, inquit Lactantius Lib. III. Inst. div. *est in vita, quo ratio, quo conditio nostra nititur, nisi Dei, qui nos generavit, agnitus, & religiosus, ac pius cultus*; igitur respublica Atheorum, quam Bayle ædificavit, inter aduvata referenda est.

V.

Quam Deo religionem debemus, perfecta, divinæ nempe, & humanæ naturæ consentanea sit, est netesse. Hæc cum non solum quoad animam, sed & quoad corpus a Deo dependeat, & internum & externum cultum exhibere debet. Hinc constat, quam manifeste pro more suo insaniat Auctor libri *Les moeurs*, quando 1. part. art. 2. adfirmat: exteriorem cultum institutum esse non propter Deum, sed ut societas omnium hominum uniri possit in professione unius ejusdemque religionis.

VI.

Officia nostra, quibus Deo religamur, aut intelligimus ratione naturæ, aut divina revelatione. Illa religio naturalis, hæc religio revelata complectitur. Sed quoniam religio naturalis ea dundaxat complectitur, in quorum cognitionem recto rationis usu devenire possumus;

in

in præsenti vero naturæ corruptæ statu tot tan-
taque sint ad omne verum cognoscendum impe-
dimenta, ut saltem moraliter impossibile sit, om-
nia simul naturalia religionis præcepta collective,
& sine erroris periculo, semota Dei revelatione,
cognoscere.

VII.

Immo cum religio naturalis neque theoreticas,
neque practicas veritates omnes ad veram beatita-
tem obtinendam cognitu necessarias certo & in-
dubitato ostendat: neque vulgo, hoc est, maxi-
mæ hominum parti adcommodata sit; liquet, re-
ligionem naturalem, et si in genere suo perfecta
sit, tamen ita completam non esse, ut sola sine
omni revelatione hominibus in eo statu, in quo
nunc sunt, ad Dei cultum, veramque beatitatem
comparandam omnino sufficiat.

VIII.

Defectus hic suppleri potest revelatione.
Hæc sive late, sive stricte, sive denique strictissi-
mè spectetur, nullam implicat contradictionem.

IX.

Cum Voltairio igitur & Rousseauio insani-
re videntur, qui garriunt, religionem revelatam
ad Deum rite colendum neque utilem, neque ne-
cessariam esse.

X.

Immo cum divina bonitas & providentia postulet, ut Deus aliquam religionem revelet, nequidem verisimile est, religionem revelatam non existere.

XI.

Res hæc est, de qua tranquillo animo nemo unus suspensus remanere potest; sed quivis, cui ratio dubium movet, num existet aliqua religio revelata, obligatione gravissima, in eadem ratione fundata, obligatur inquirere, ubi, & quæ sit illa religio revelata.

XII.

Hanc ut dignoscamus, infinita Dei bonitas nobis eas notas, & characteres suppeditavit, quibus haud difficile sit, impostorum fraudibus obvenire. Tres præcipuae sunt hujusmodi notæ: una intrinseca, nempe doctrinæ sanctitas; duæ extrinsecæ, scilicet miracula, & prophetiae, quibus quasi quibusdam sigillis Deus confirmare sollet extraordinariam missionem eorum, per quos, tanquam suos ministros, nobis quasdam veritates manifestat.

XIII.

His notis prædita est doctrina a Jesu Christo promulgata, & in novo testamento nobis relicta, Doctrina ista religionem christianam consti-

stituit; huc igitur est evidenter credibilis; proindeque nulla alia religio ex iis, quæ revelatae dicuntur, credibilis est.

XIV.

Verum tamen cum Deus non singulis singulari revolutionibus, nec etiam continuis miraculis doctrinam ab se revelatam confirmet, congruebat paternæ circa salutem hominum providentiaz, aliam viam, & rationem invenire, qua omnium hominum generi de rebus a Deo revelatis per continuatas ætatum series certo constare possit. Fontes igitur constituit, e quibus veritates ab se patefactas procul omni errandi periculo hominibus adplicantur. Hi sunt: Scriptura sacra, & Traditiones divinæ apostolicæ.

XV.

Porro sicut in republica bene ordinata non sufficit, leges esse constitutas, sed insuper requiritur aliquis supremus judex, earundem custos & interpres, qui emergentes civium controversias sua auctoritate componere posset & finire; ita quoque postquam Deus cælestem doctrinam hominibus revelare dignatus est, ejus providentiaz erat, ejusdem doctrinæ custodem, atque interpres aliquem constituere, ad cuius tribunal confugere fideles deberent, quotiescumque aliqua dubia aut lites de ea moverentur.

XVI.

Judex hic neque Scriptura sacra , neque spiritus privatus , neque ratio humana esse potest.

XVII.

Multo minus sustineri potest ridicula illa Syncretistarum partitio articulorum in fundamentales , & non fundamentales , aut tolerantia Iurii , qua citra piaculum unicuique , prout maluerit , sentire permittitur.

XVIII.

Sponte sua proin sequitur , ut Ecclesiam solam tanquam divinæ revelationis custodem , atque interpretem tutissimum revereamur.

XIX.

Hæc fidei morumque controversias dirimit , vel per concilia œcumenica , vel per communem omnium Ecclesiarum dispersarum consensum , vel per Synodos nationales , provinciales &c. vel per Romanos Pontifices.

XX.

Cum primo aut secundo modo de fidei morumque rebus pronuntiat Ecclesia , eam dono inerrantia divinitus præditam esse , omnino certissimum est.

EX
THEOLOGIA SYSTEMATICA.

XXI.

Nomine Dei intelligimus ens a se ipso existens, & infinite perfectum, quod omnium aliorum entium causa effectrix sit. Entis hujus existentiam, quam alii ex intuitu universi: ex sensu intimo: ex consensu populorum cum gentilium, tum christianorum demonstrant, nos argumento, quo ex mutabilitate, atque rerum creatarum contingentia ad ens necessarium assurgitur, velut optimo, simplicissimoque demonstrandi genere evidenter probamus.

XXII.

Vnus est Deus, & si unus non est, Deus non est. Hac veritate jugulantur gentiles, qui plures Deos, & Manichæi, qui duplex rerum omnium principium perperam commiscuntur.

XXIII.

Cumque omnis ab eo imperfeccio removari debeat: ut partibus Deus careat, ac corporis expers sit, aperta est consecutio.

XXIV.

Veritas hæc tanti momenti est, ut non nisi
infanire videantur, qui cum Beausobrio eam
αδιαφορον esse, nihilque ad fidem adtinere exi-
stiment.

XXV.

Esse intellectum in Deo nemo dubitat, &
facilius invenies, qui Deum prorsus tollant, quam
qui eum admittant omni intelligendi vi orbatum.
Immo cum intellectio divina sit ipsa ejus essentia,
hinc sit, ut quemadmodum essentia est infinita,
infinita sit quoque ipsius intellectio.

XXVI.

Nihil igitur est, quod eam fugiat, sed o-
mnia omnino futura, contingentia etiam & libera
certo prænoscit; *cujus veritatis*, inquit Tertul.
lib. 2. contra Marc. tot habemus testes, *quot Pro-
phetas.*

XXVII.

Iam inde a Ciceronis, Stoicorumve ætate
torquebantur sapientes, cum de libere futurorum
præscientia sermo injiceretur. Cicero in lib. II.
de divinat, ferream necessitatem exosus, maluit
divinam inficiari futurorum scientiam, atque ita,
ut scire observat S. August. L. V. de civit. Dei,
duni vult homines facere liberos, fecit sacrilegos.

Ve-

Verum sicut scientia præsentium nihil his, quæ fiunt; ita præscientia futurorum nihil his, quæ ventura sunt, necessitatis importat.

XXVIII.

Nihil frequentius in sacris literis occurrit, quam Deum unum esse, immo earundem præcipius scopus est, ut explosa Deorum multitudo ne soli vero Deo debitus cultus & honor reddatur. Eadem tamen Sacrae literæ tres divinas personas commemorant: obscurius quidem in veteri testamento, perspicue autem in novo; unde veritas catholica utrumque concilians, unum Deum in Trinitate veneratur.

XXIX.

Tres has divinas personas, etsi ab invicem realiter distinctæ sint, in una eademque numero natura subsistere docet Scriptura & Traditio. Hanc ignorant, qui cum Vnitariis nobis objiciunt, quod admittendo tres personas divinas, tres etiam Deos effingamus-

XXX.

Proinde Filius divinus verus est Deus, divinoque Patri consubstantialis; quod & de Spiritu sancto fideliter sentiendum, nisi quis nefandis

Arianorum & Macedonianorum erroribus velit implicari.

XXXI.

Dogmata hæc etsi captum intellectus humani excedant, nihil tamen rationi contrarium continent.

XXXII.

Inter opera a Deo creata eminent Angeli, & homines; quos ad imaginem suam creavit Deus; igitur errarunt Sadducæi, qui scribente Luca, neque resurrectionem fore crediderunt, neque Angelos.

XXXIII.

Angelis bonis hominum cura, Dei optimi beneficio, commissa est: & probabilius hominibus singulis singuli designantur custodes Angeli.

XXXIV.

Felicissimus ille primævæ innocentiae status, in quo Deus Protoparentes nostros Adamum & Evam collocavit, peccato eorundem interiit, quam lugubrem hujus maximæ calamitatis historiam nobis describit Moyses Genes. II. & III.

XXXV.

Lapsus imputatur omnibus protoplastarum posteris, ad quos & reliquam protoplastarum

cor-

corruptionem propagatam fuisse cum ex veteri testamento, tum ex novo, tum denique ex Patrum traditione evincitur.

XXXVI.

Corruptionis hujus affectionibus etsi adtenuatum quidem liberum hominum arbitrium, haud tamen fuit extinctum; datur ergo in natura lapsa vera libertas cum a coactione, tum & a necessitate.

XXXVII.

Doctrinam hanc semper tenuit magnum Ecclesiæ lumen Augustinus; ut adeo Calvinus & Iansenius, ceterive eorum sectatores, sancto Doctore, quasi is a partibus eorum stetisset, non nisi fallaciter glorientur.

XXXVIII.

Homo, inquit S. Augustinus in Enchir. c. 26. post peccatum exul effclus — jacebat in malis — & de malis in mala præcipitabatur tota humani generis massa damnata, & adjuncta parti eorum, qui peccaverant, Angelorum luebat impiæ desertionis dignissimas pœnas. At Deus, cuius natura bonitas, infelix humanum genus in spem veniar erigere volens, divinum promisit liberatorem. Gen. c. 3. v. 15. Hinc plures, sanctosque viros fu-

spiritu afflatis eum in finem suscitavit, ut de Meſia vaticinarentur, eumque ita delinearent, ut obcæcato animo sit, oportet, qui ipsum agnoscere renuat.

XXXIX.

Splendidissimum Patriarcha Jacob, Judæ filio suo fausta ominatus, de futuro Meſſia fudit oraculum Gen. 49. Eundem Gabriel Angelus Danieli a Deo missus mortalibus oriturum intra hebdomades septuaginta prædicabat. Dan. 9. Aggæus c. 2. Malachias c. 3. stante secundo tempore oriturum vaticinati sunt. Magnifica hæc vaticinia obcæcatos, qui sibi falsa venturi primo liberatoris criteria fingunt, atque vana spe crudas mentes alunt, Judæos feriunt, Meſſiamque jam pridem adventasse inviète ostendunt.

XL.

Ea ipsa vaticinia, & omnes alii veri Meſſiæ characteres sacris in literis præsignati, quia uni Iesu Nazareno congruunt, is tanquam verus Meſſias celebrari debet. Atque cum Judæorum perfidiam, & cœcam in Christo negando pertinaciam præcinuerint sacri Vates; tum maxime Jesum a Nazareth Meſſiam verum esse Judæi probant, dum pertinaciter negant, ipsasque Prophetias impletas inficiantur.

XLI.

XL.

Magnus hic orbis Liberator, qui præfinis-
tis temporibus carnem adsumere dignatus est,
in scripturis Divinis Dei Filius dicitur; quod
esse haud potest, quin æternus Dei Filius natu-
ram humanam uniret sibi, propriaque termi-
naret subsistentia. Quamobrem in vera pro-
priaque, quam hypostaticam dicere solemus,
naturæ divinæ & humanæ unione Incarnationis
consistit Mysterium, quod nihil contradictionis
continet.

XLII.

Si Christus verus homo fuit, qui amabo
crediderimus Simonianis, Saturnianis, Manichæis,
tanquam vera dicentibus, Christum solam carnem
umbratilem & apparentem habuisse? Catholica
itaque assertione firmum est, veram carnem a
Verbo assumtam fuisse, veram animam rationa-
lem; quod ultimum contra Arianos, Eunomianos,
& Apollinarium militat. Similiter contra Valen-
tinianos, eam terrenam, nostræque consubstan-
tialem, non coelestem; denique adversus Incor-
rupticolas ante gloriosam a mortuis Avæcætiæ ad-
fectibus & doloribus fuisse obnoxiam infalli-
bile est.

XLIII.

XLIII.

Atque quia Verbum veram carnem & animam rationalem adsumvit, in Christo a peracta unione duæ sunt naturæ distinctæ, divina altera, altera humana, non separatæ, nec permixtæ, sed integræ una Verbi hypostasi subsistentes. Dogmate hoc orthodoxo omnes universim Monophysitæ, atque imprimis Eutychiani jugulantur.

XLIV.

Ex hypostatica Verbi cum natura humana unione tanquam ex fonte fluit contra imp̄iissimum Nestorium, unam duntaxat esse in Christo personam, unumque Filium. Atque inde amplius consequitur, Mariam Virginem sacerrimam non Christiparam modo, sed & Deiparam jure optimo esse dicendam.

XLV.

Persona Christi mediatoris partes adimplevit, dum pœnas nobis debitas sustinuit, nosque vere redemit soluto pretio; contra quam Socinus sentiat, qui Christum Redemptorem adpellat exemplo, præconio, qui nempe ad viam salutis consecrandam præluxerit, doctrinaque publica sit cohortatus.

XLVI.

XLVI.

Christus etiam sapientis Magistri & perfeci
Legislatoris munere defungi voluit. Lutherus
& Calvinus columnina heterodoxorum systemati
pravo insistentes, solam fidem obtainere vim ju-
stificandi, non erubuerunt adfirmare, Christum
Legislatorem non fuisse. Hobbesius in Leviat.
c. 4. adfirmat, Christum novam doctrinam, non
legem in mundo adulisse.

XLVII.

Lex, quam Christus dedit, Evangelica di-
citur, eo quod, ut Theophylactus præf. in
Matth. ait: *nuntiat nobis res prosperas, & bene-
se habentes, hoc est, bona, nempe remissionem
peccatorum, redditum in cœlos, adoptionem in si-
lios.* Lex hæc usque ad finem mundi perdura-
tura est.

XLVIII.

In lege Evangelica, quæ aliter lex gratiæ e-
vero dicitur, ut salus per Christum parta singu-
lis etiam hominibus applicari possit, Christus
de mediis & adjumentis providit, quæ sunt gra-
tia Christi medicinalis, & sacramenta novæ
legis.

XLIX.

XLIX.

Gratia Christi si actualis sit, ejus natura non modo in illustratione mentis, sed vel maxime in motione voluntatis, seu inspiratione sanctæ dilectionis sita est.

L.

Est mere gratuita. Nemo proinde solis arbitrii viribus eam de congruo mereri, aut ad illam se positive disponere, neque ex illo pacto, quod Molina invenit, vel ex aliqua lege vel promissione Divina dandi gratiam facienti, quod in se est, viribus naturæ impetrare potest.

LI.

Illud ergo effatum Theologicum: *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, de faciente quod in se est ex viribus gratiæ intelligi debet.

LII.

Porro necessaria est Christi gratia non solum ad initium, progressum, & consummationem boni operis salutaris contra Pelagianos, sed etiam contra Semipelagianos ad fidem salutarem, ejusque initium, immo ad ipsos primos pios credulitatis affectus.

LIII.

LIII.

Efficaciam suam neque a consensu voluntatis humanæ , ut Molinæ placuit, neque ex adtentatione auxiliorum cum voluntate humana, quæ subsit scientiæ mediæ , ut Congruistis arrideret, sed eam in se habet : seu est ab intrinseco efficax.

LIV.

Quamvis autem in concilianda hominum libertate cum hac gratia ab intrinseco efficaci eandem , quam olim Sanctus Augustinus difficultatem experiamur , ejusdem tamen sancti Doctoris argumentis sartam , testamque manere libertatem sub hujus gratiæ efficacia probamus.

LV.

Præter gratiam efficacem , quæ effectum certa & infallibili lege obtinet semper , admitti debet in hoc statu naturæ lapsæ aliqua gratia interior , cui voluntatis perversitate resistitur.

LVI.

Hanc parvulis absque Baptismate decedentibus , infidelibus negative dictis , nec non aliquibus obduratis , & obœcatis peccatoribus dengari cum S. Augustino propugnamus.

LXII.

LVII.

Gratia hæc, quæ usitato scholæ vocabulo sufficiens appellatur, non omne id continet, quod ex parte Dei ad bene operandum requiritur.

LVIII.

Præter gratias addidit Deus & alia subsidia, quibus merita Christi nobis applicarentur, quæ sacramentorum nomine solent a Theologis appellari. Sacra menta in nova lege, nec plura, nec pauciora sunt, quam septem.

LIX.

Eorum administratio non omnibus promiscue Christianis commissa fuit, sed certis duntaxat hominibus legitima auctoritate ad hoc munus delectis.

LX.

Per gratias actuales & sacramenta adquiritur gratia habitualis seu sanctificans ; cuius rursus duo effectus præcipui sunt : justificatio, & meritum.

LXI.

Justificatio fidem præexigit, non tamen ei solum est tribuenda, juxta illud Jacobi c. 2. *fides, si non habet opera, mortua est in semet ipsa.*

LXII.

LXII.

Dum justificatur impius, ejus peccata vere remittuntur, ac delentur: justificatur porro non per externam justitiae Christi imputacionem, sed per internam gratiae sanctificantis infusionem.

LXIII.

Animæ in justitia usque ad mortem perseverantes, quibus nihil supereft expiandum infirmitatis humanæ, in possessionem sempiternæ felicitatis sine dilatione mittuntur, quin opus sit extreum resurrectionis diem præstolari.

LXIV.

Quibus vero adhuc aliquid purgandum habet, iis eluendum illud est, quam ad fruitionem æternæ beatitatis admittantur, id est: pœnis purgatorii, ut vocant Theologi, sunt ante perpurgandæ.

LXV.

Corpora autem cum justorum, tum impiorum hominum, etiam in cineres resoluta, Dei jussu animabus unientur, ut iidem homines supremo Judici sistantur ad æternam vocandi vitam, aut ad commerita supplicia damnandi: futura est ergo aliquando carnis resurrectio.

LXVI.

LXVI

illi, qui resurgent in resurrectionem vitæ,
Dei essentiam intuitive videbunt; gradus tamen
habebit beatitas justorum pro diversitate illorum
meritorum.

LXVII.

Qui vero in condemnationem resurgent,
Iuent inferorum pœnas æternas cum damni-
tum sensus, juxta illud Matth. 25 : *Discedite ma-
ledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo
& angelis ejus.*



P. PLACIDI PRESL

SACRUM ET EXEMTUM ORDINEM CI-
STERCIENSEM WELLEHRADII PROFESSI, IN U-
NIVERSITATE PRAGENSI APUD FACULTATEM THEO-
LOGICAM EXAMINATORIS REGII, ATQUE IN STUDIO
GENERALI UNITORUM ORDINUM PREMONSTRA-
TENSIS ET CISTERCIENSIS THEOLOGIAE
DOGOMATICÆ PROFESSORIS
ORDINARIJ,

DE
ASSENSU A CATHOLICO
CANONIZATIONI
SANCTORUM
PRÆSTANDO
DISSERTATIO.



Liber Vitæ Agni. Apoc. c. 21.

CUM APPROBATIONE CENSURÆ CÆSAREO-REGIAE.

P R A G Æ,
LITERIS JOANNÆ VIDUE PRUSCHIANÆ,
PHILIPPO NICKESCH FACTORE.

45 & 2


DEUS cum sit mirabilis in maiestate sua,
etiam in Sanctis suis gloriosus apparere dignatur,
ne solus habeat gloriam. Ipse nempe licet sit sibi
sufficiens ad omnem magnificentiam, querit ta-
men gloriam & in Sanctis, non ut augeat sibi,
sed ut suis communicet. Novit autem qui sunt
ejus : sed nobis non facile innescunt, nisi cum
ipse revelare dignabitur. Abbas Suavissimus S.
Bernardus epist. 23.



PRÆLOQUIUM.

Decretis Ecclesiasticis a Christiano grege humili & prompto obsequio parendum esse, propter eam, quam instituto Divino obedientiam præstare Præpositis Ecclesiæ, rationem pro animabus nostris Deo reddituris, tenemur, nemo Catholicon est, qui in dubium vocet.

An vero judicium sive Ecclesiæ, si-
ve Pontificis in ea, quæ modo fit, Di-
vorum Apotheosi decernenda, seu ut vul-
go dicitur, Canonizatione Sanctorum,
qua-



qualis hisce diebus solenniter agitur, prorsus sit infallibile & ab omni penitus errandi periculo immune; eique secundum sanctissimæ legis instituta, divinæ fidei firmissimus assensus fit accommodandus? istud est, quod multi magni nominis & pii & docti Theologi absque omni dissimulatione negant.

Enim vero quum sua sint non veritati minus, quam ingeniis jura, quæ bene noisse ac tueri ad neminem magis pertinet, quam ad Catholicos Viros: cordatus Theologus Auctoritati Ecclesiasticæ in Canonizationis judicio plus juris non tribuit, quam quod sibi tribui amat Ecclesia, quam quod Christus Ecclesiæ Institor, publicæ utilitatis ratio, & omnium Prudentum vota hucusque tribuerunt, ne dum incerta & indebita jura Sacris Pastoribus conceduntur, certa & debita in periculum adducantur.

Quam-

ꝝ ꝝ ꝝ

Quamquam enim opinione populari
ii solum peccare videantur, qui Ecclesiæ
jura elevant atque pessimum dant: æque ta-
men Sapientum Catholicorum opinione
peccant & obsunt, qui supra modum &
supra limites Ecclesiæ auctoritatem ampli-
ficant atque importune exaggerant.

Rursus in religionis negotio duplex
animadvertis potest excessus: alter eorum,
qui nimis multa, alter eorum, qui nimis
pauca credunt. Judicio illi, temeritate
isti peccant: tamque in fidem delinquit,
qui, quod fidei non est, hoc dicit esse;
quam qui negat esse, quod est de fide.
Utrumque ut evitetur, opus est criterio
exquisitissimo: utrumque enim excedere
facillimum est, & utrumque vitium est.
Quocirca heic & judicio locus est, & in
quibusdam rejiciendis libertas.

Haud putem igitur, quemquam in-
ventum iri, qui præsens in publicum pro-
fe-

ꝝ ꝝ ꝝ

ferendæ lucubrationis qualemque consilium meum, ævo nostro, discussioneque nostra indignum existimet. Agitur nempe quid in judicio Canonizationis Divorum salva fide, quid salva pietate religiosque inviolabilis officiis, ingeniosis nostratium liceat; quæ jura usurpanda, quæ fræna injicienda hac in materia homini Christiano.

Hujus consilii mei si succedat conatus, jure est laudandus, si vero non succedat, non est certe reprehendendus. Ea enim exponenda in hac me lucubratione suscepisse constat, non quæ essent pervia, & omnium sermone trita, sed quæ vix adhibita etiam diligentia a Doctissimis quibusque plene intelligerentur.

Video ictus circa quæstionem ejusmodi arduam, & delicatam, quæ apud ingenia pusilla scriptorem in discrimen adducere facile posset, plane & perspicue expedi-

re non posse, nisi docti & intelligentes
Viri, qui laboranti manum porrigan,
tanquam Duces & Magistri suscipiantur.

In hac porro alea periculi plena se-
quutus plerumque sum post Benedictum
XIV. immortalis plane memoriae Pontifi-
cem Doctissimum, in aureo illo suo ope-
re de Beatorum Canonizatione, ubi quid-
quid super ea re in utramque partem dici
potest, erudite pertractat; Ludovicum
Antonium Muratorium Virum Clarissi-
mum in opere de ingeniorum moderatio-
ne in Religionis negotio. Profecto de
laude utriusque decerperetur non modi-
cum, si æmulos & imitatores studiorum
suorum nullos habeant, si neminem acu-
ere, neminem suis exemplis accendere
potuerint. Horum Virorum Clarissimo-
rum doctissimis lucubrationibus me pro-
fecisse lubens confiteor: atque ubi se se
dederit occasio, solito etiam religiosius
illorum reminiscar.

Se-



Sequar igitur vestigia præeuntium:
verum ita, ut quæ illi diversis locis spar-
ferant, in unum veluti corpus, non sine
accessione rerum, redigam, atque ad in-
stitutum meum ea methodo accommo-
dem, qua unum ex altero flueret, & pri-
ora sequentibus lucem communicarent:
quod an assequutus fuerim, vos, quum
legeritis, æquo animo judicatote.

Cæterum majorem in modum flagito,
ut lucubrationem hanc, quam *proficienter*,
loquor Magnum & humilem Augustinum,
me existimo, *Deo miserante scripsisse*, non tamen
a perfectione cœpisse, (a) judicio vestro Le-
tores Optimi probetis, præsidioque tue-
amini: quod a Vobis factum iri spero
quam liberaliter.






DE
ASSENSU A CATHOLICO
CANONIZATIONI SANCTORUM
PRÆSTANDO
DISSERTATIO.

§. I.

Non de Romanorum *Apotheosi*, qua Canohiza-
Heroes illi suos crebris licet vi-
tiis infames, in numerum Deo-
rum redigebant: de Ritu Ecclesiaz, quo ho-
mines consummatæ sanctitatis gloria, dum
viverent, illustres, & post mortem prodigiis,
vel martyrio inclarescentes Sanctorum ca-
talogo inseruntur, sermonem informabo.

A

Se-



Secundum hæc inquiam: *Canonizatio est publicum Ecclesiæ testimonium de vitæ sanctitate, de gloria adeptæ hominis defuncti, quo etiam illi honores, Sanctis debitè decernuntur.* *)

*) Duo igitur ex Canonizatione Sanctorum consequuntur; primum: quod canonizatus decer-
rit in gratia, atque jam aeterno gloria, Deoque
perfruatur; alterum, quod idem cultu Sanctis
debito in Ecclesia colendus sit. Cultus conve-
niens Sanctis tanquam Dei amicis, vocatur cul-
tus *Dulieæ*, quatenus scilicet cultui *Laioretico*, qui
soli Deo exhibetur, opponitur. Cultus Dulieæ,
qui Cœlitibus exhibetur, in sequentibus reponi-
tur: Sanctorum nomina in Diptycha referuntur.
Invocantur tanquam Advocati nostri apud Deum
in publicis Ecclesiæ precibus. Tempa & alta-
ria eriguntur Deo in eorum memoriam, & sub
eorum invocatione. Missæ in honorem Sanctorum
Deo offeruntur, & annuo decursu horæ
canonicæ recitantur. Dies festi in eorum me-
moriā celebrantur. Sanctorum imagines, cer-
to lumine gloriam indicante, pinguntur. Reli-
quiae Thecis pretiosis asservantur.

§. II.

Quum testimonium de vita sanctitate, & gloria adepta hominis jam vita fundati proficisci possit vel ab oecumenico Concilio, aut a summo Pontifice, Sanctorum aliquem toti Ecclesiaz declarante, vel ab aliquo Episcopo,, seu ab Ecclesia, vel Synodo particulari, sit, ut canonizatio quædam generalis, alia particularis e vero dici possit. Rem subsidio historiaz comprobemus.

§. III.

Primis Ecclesiaz seculis a Notariis, & Diaconibus ad id delegatis, virtutes, miracula, actave omnia, quæ verum sanctitatis testimonium præberent, adnotabantur, & literis consignabantur. Ex hoc adnotandi, describendique ritu ortum duxere varia Martyrologia, quæ cum apud Latinos, tum apud Græcos etiam nunc extant. Id colligitur ex his, quæ habentur in libro de Romanis Pontificibus; in eo de S. Clemente Papa legitur: *Hic fecit septem Regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta*

Generalis
nullum ve-
stigium ha-
bet ante
Secul. X.



Martyrum solicite, & curiose, unusquisque per Regionem suam, diligenter perquirerent; de S. Fabiano -- Hic Regiones divisit Diaconibus, & fecit septem Diaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent; & de S. Antero -- Hic gesta Martyrum diligenter a Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit, propter quod a Maximino Praefecto Martyrio coronatus est. *) Hunc morem acta eorum, qui pro Christi fide moriebantur, consignandi, successores in usum assumisset, non vana conjectura est. Et quia ante Seculum X. generalis canonizationis nullum, quod quidem sciam, vestigium apparet, recte colligitur: particularē eo tempore non nisi in usu fuisse, quæ accedente totius Ecclesiae consensu, generalis evadebat.


*) Panvinius in sua Dissertatione, imprensa apud Cardinalem Rasponum de Basilica Lateranensi L. 3. C. 14. colligit ex actionibus synodi Rom. sub S. Silvestro P. celebratae, Romanam Ecclesiam Notarios aluisse, qui acta Martyrum monumentis mandarent; sed Hincmarus Remensis, Petrus de Marta, Labbeus, Lupus, Cabassutius eam

Synodum probant esse supposititiam, & multa suppositionis capita referuntur a Schelstrat, in 2. p. *Antiquit. illust. Differ.* 3. c. 8. Sed sat superque & Clementem Notarios, & Fabianum Diaconos ac Subdiaconos pro actis Martyrum consignandis statuisse, & Anterum martyrio fuisse ex dicta causa coronatum, comprobari ex laudato libro senserunt pari eruditio[n]is & pie-tatis laude conspicui Viri Eximii; Cardinalis Baronius & Florentinius in *Præf. ad Martyrol.* ab ipsis edita. Bollandus in *Præf. general.* §. 2. Mabillonius in *Præf. ad seculum* §. Benedictinum §. 6. Et profecto: Sive enim liber ille sit Anastasii, sive Damasi, sive fuerit a variis Authoribus juxta aliquorum eruditorum calculum, colle-gius, magnæ nihilominus autoritatis esse debet vel ex eo, quia antiquitatem venerandam habet.

§. IV.

Hujus autem *particularis canonizatio-*
nis jus & potestas, si primæva Ecclesiæ tem-pora mente repetamus, usque ad seculum X. Episcopis in sua cuique Diœcesi tributa deprehenditur. Id factum fuisse a S. Cy-priano, verba ipsius (*a*) manifestant: *Dies, inquit, eorum (Martyrum) quibus exceedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter-*

Jus cano-nizationis particula-ris olim a-pud Epi-scopos Diœcesa-nos.



memorias Martyrum celebrare possimus. Quan-
quam Tertullus fidelissimus, & devotissimus
frater noster - - scripsit & scribat, ac sig-
nificet mibi dies, quibus in carcere beati fra-
tres nostri ad immortalitatem gloriose mortis
exitu transeunt, & celebrentur hic a nobis ob-
lationes, & sacrificia ob commemorationes eo-
rum, quae cito vobiscum Domino protegente
*celebrabimus. *) Heic Cyprianus non solum*
probat ritum illius temporis Martyres in ca-
nonem inscribendi, sed porro ostendit fi-
nem, cuius causa id fiebat, nimirum: ut
oblationes, & sacrificia statim diebus in com-
memorationem eorum celebrarentur.

(a) *Epist. 37.*

*) „ Concors est „ inquit sanctæ memoriae Bene-
dictus XIV. de Serv. Dei Beatif. & Beat. cano-
niz. L. I. C. III, „ Eruditorum sententia, ab
„ una ad aliam Ecclesiam primis æræ Christianæ
„ seculis tum Martyrum nomina, tum pretiosæ
„ mortis seriem per encyclicas literas transmis-
„ sa fuisse, ut nedum gloriofa certamina omni-
„ bus innotescerent, sed & cultus, Ecclesiastico
„ judicio in una Diœcesi ab uno Episcopo intro-
„ ductus, ad alias, assentientibus ipsarum Epi-

„ scopis , extenderetur . Extant adhuc nonnullae ex dictis epistolis ; illa videlicet Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi ; illa Ecclesiarum Viennensis , & Lugdunensis de Martyrio S. Potini Episcopi ad Fabium Antiochenum , de Martyrio Sanctorum Metræ , Apollonie , & aliorum plurimorum &c . „ Id porro adjicit : „ Verum si ab una ad aliam Ecclesiæ siam epistolæ transmittebantur , ut unaquæque certior fieret de iis , qui mortem pro Christo passi fuerant , nemo est , qui jure sibi suadere possit , consimiles epistolas ad Ecclesiæ Romanam aliarum Ecclesiarum Matrem , centrum catholicae unitatis , ad Romanum Pontificem Christi in terris Vicarium , & Apostoli Petri successorem non fuisse transmissas . „

§. V.

Modus illo ævo in canonizatione observatus , fuit brevissimus & simplicissimus , & peragebatur non adparatu illo , pompa , ac ritibus , quales postea adhibiti sunt , sed siebat tum communi populi consensu , tum erectione altaris , vel oratorii super eorum tumulum , tum denique sequentibus seculis , corporum elevatione ; *) atque hoc simplici ritu Cœlitum catalogo adscriptus cen-

Processus
 illius tunc
 temporis
 fuit simpli-
 cissimus .

sebatur. Unde Baldericus Tornacensis Episcopus (a) describens canonizationem Hadulsi Episcopi Atrebatensis per Engranum Episcopum Cameracensem, simpliciter dicit: *Sanctum corpus levavit*; id est, publice exposuit. In qua elevatione, ad declaranda sancti Viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu mirifice liberata est. Unde Episcopus latus, verbo facto ad populum, Beati Hadulsi solennia in numerum Sanctorum notificavit.

(a) L. 10. Chron. sui Casserac. & Atrebac. Eccl. c. 35.


* Elevationis ritus præbilius VII. Ecclesiæ Seculo initium sumisse videtur; nam antea Sanctorum reliquiæ sub aris condebantur. Quapropter S. Ambrosius epist. 85. ad Marcellinam sororem suam, de Sanctis Gervasio & Protasio orationem habens: succedant, inquit, victimæ triumphales in locum, ubi Christus hostia est, sed ille supra altare, qui pro omnibus passus est, iste sub altari condantur, qui illius redempti sunt, passione.

§. VI.

Honore hoc sacræ Apotheoseos pri- Primitus
mitus non nisi Martyres celebrabantur. Con- foliū Mart-
fessores & Virgines serius hac celebritate tyribus de-
ferebatur. Præfules dignati sunt. *) Id eruitur ex eo,
quod in antiquo Missæ canone, ut Cardina-
lis Bona animadvertisit, (a) post sacrosanctum
Mariæ nomen, sanctorumque Apostolorum,
non alia, quæ in Martyrum leguntur no-
mina.

(a) *L. 2. Liturg. e. 12. In canone Romano post Beatam Virginem, & Apostolos, Martyres duodecim nominantur. Confessorum nulla sit mentio, vel quia Martyres passionem & mortem Domini, quæ in hoc sacrificio repræsentantur, effuso sanguine, imitati sunt, vel quia canon editus est, antequam Confessorum memoria celebraretur, de quibus silent tribus prioribus seculis Ecclesiastica monumenta.*

*) Certo non constat, quo præcise tempore Confessorum ceperit cultus in Ecclesia. Cardinalis Bellarminus *L. 6. de Missa. c. 20. rons. 3. controv.* inquit: certum est, Martyres capisse publice inco-
cari, & eorum nominibus dies festos coli, & Basili-
licas erigi ab initio plane Ecclesie; confessores autem multo serius hunc honorem in Ecclesia meru-
isse.



iſſe, Sed aliorum Auctorum hac in materia con-
 cors esse videtur sententia, qui disciplinæ hujus
 initium ad Seculum IV. referunt. Primus est
 Innocentius III. L. 3. *Mysteriis missæ c. 10.* ubi
 ait: Ecclesia post tempus Beati Silvestri caput San-
 ctorum Confessorum memoriam venerari. Beatus
 autem Silvester non ante seculum IV. Summus
 Pontifex creatus est. Sequitur Cardinalis Bona
 verum liturgicarum L. 2. c. 12, ubi fidem facit
 monumenta Ecclesiastica trium primorum Ecclesie
 seculorum de cultu Confessorum filere. Mabillonius
 in *Præf. ad Secul. V. Ordinis S. Benedicti*: §. 6. n.
 97. haec habet: Ut Martyribus sic etiam Confes-
 soribus honor publico cultu delatus ab Ecclesia est,
 id fieri cœptum Seculo IV. Sententiae huic suf-
 fragantur monumenta: S. Hieronymus in *vira S.*
Hilarionis refert, Sanctum Antonium jussisse, ut
 sibi pararetur sepultura in loco ignoto; cauſa
 occultandi iuxta præceptum Antonii fuit, ut
 Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, Mar-
 tyrium (quo vocabulo sacram ædicolam signifi-
 cari censet Mabillonius) supra tumulum suum fa-
 bricaret. S. Hilarion Antonii discipulus, dum in
 Cypro versaretur, mortuus est, & ab insulæ in-
 digenis, tumulo conditus, magno in honore
 habitus fuit; cumque Hesychas ipsius discipulus
 reliquias ejus Palæstinam deportasset, & in suo
 monasterio sepelivisset, ab eo tempore dies
 festus maxima hominum frequentia, & sum-

mo splendore quotannis ab indigenis celebra-
tus est, teste Sozomeno L. 3. c. 13. Ad-
ditque Sozomenus: consuetudinem Palæstino-
rum fuisse, memoriam illorum solenniter cele-
brare, qui vitam apud ipsos sancte vixissent, eo-
que honore esse prosecutos Abrilium, Antedo-
nium, Alexionem, & Alaphionem monachos,
qui verbo & exemplo illam gentem converte-
rant ad veri Dei cultum. Taliter aqum est IV.
& sequenti Ecclesiæ seculo, quo valde crevit
Sanctorum Confessorum veneratio.

§. VII.

A Seculo dehinc X. Sedis Apostoli- A Seculo
ca æ auctoritas ad religiosa ejusmodi facta a X. Papæ
nonnullis requiri cœpit; *) sed sacram auctoritas
Apotheosim non nisi annuentे generali Syn- requiri
odo tribui consueuisse ingenue responde- cœpit.
bant Pontifices. Factum exploremus: Be-
nedito Rempsiegensi Abbatι, Guolgo-
sium antecessorem suum canonizari postu-
lanti, facile concedi non posse, reposuit
Urbanus II. hanc addens cauſlam: *Non enim*
Sanctorum quisque debet canonibus admisceri,
nisi & testes adſint, qui ejus miracula viſa
suis oculis attestentur, & plenariæ synodi fir-
mentur affensu. Aliud exemplum pro con-

firmando asserto audiamus: Ulricus Constantiensis in Germania Episcopus S. Conradum Sanctorum albo inseri petens, ad iteratas suas supplices literas hoc immutabilis sententiæ responsum a Romana Ecclesia accepit, vitam ejus in concilio recitandam, & comprobandum fore generali. Hæc ex Chronico Ecclesiæ Constantiensis recitat Christianus Lupus, (a). Hoc tamen non obstante, aliis in locis Episcopi præprimis Metropolitæ, vetere hac in re uti facultate perrexerunt.

(a) *Tom. III. Scholiorum pag. 569.*

*) Baronius, Bellarminus id altius referunt, nempe ad Pontificatum Leonis III. qui Werdæ præfente Carolo Magno Sanctum Suitbertum solenni ritu in Sanctorum album retulerit; quod ex epistola Sancti Liudgeri Minigardevordensis Episcopi ad Rixfridum Trajectensem Episcopum commemorat Cardinalis Baronius ad annum Christi DCCCIV. Verum totam illam narrationem falsitatis, ut Liudgeri epistolam suppositionis, a viris eruditis, jam olim convictam fuisse, testatur Natalis Alexander in *Synopsi Historiae Eccles. IX. & X. Seculi c. I. a. I. de Leone III.* Et sic

con-

concludit: expungatur ergo ex actis Leonis III. Sancti Suitberti canonizatio Werdæ præsente Carolo M. celebrata. Ejusdem mentis est Mabillonius in Seculo Benedictino 3. part. 1. pag. 243. qui primum indubitate fidei monumentum de solenni per Romanum Pontificem canonizatione statuit diploma Joannis XV. qui in frequenti episcoporum confessu ad preces Liutolfi Episcopi Augustani, Udalricum ejusdem Ecclesiae Antistitem, Sacra apotheosi donavit Anno DCCCCXCV. In eandem abit sententiam Fleurius Hist. Eccl. L. LVII. §. 32.

§. VIII.

Seculo porro XII. Solennis Apotheosis, sive modus sanctificandi hodie usitatus in Ecclesia civitate donatus est. Et primus quidem fuisse videtur Eugenius III. qui sine Concilio in suo Consistorio Sanctum Henricum Imperatorem Sanctorum albo adscripsit, usus hoc fundamento: quod Romanæ Ecclesiae auctoritas sit omnium conciliorum firmamentum; tametsi una confiteretur, quod hujusmodi petitio, canonizationis, nisi in generalibus conciliis admitti non soleat. *)

Primus fuit Eugenius III. qui sine concilio canonizationem celebravit.

*) Adi sic Tom. 1. Bul. Rom. pag. 61.

§. IX.

§. IX.

Pontifici Eugenium, Alexander III. & alii Pontifices sunt deinceps imitati. Laudatus tamen Alexander longius progressus est, & canonizationem tanquam *unam ex majoribus caussis* ad Romanum Pontificem pertinere edixit; (a) qui & complures sacrae apotheosi donavit, Edvardum Angliae Regem, Theobaldum Eremitam Vincentinum, Thomam Cantuariensem, & Bernardum Clarevallensem Abbatem. Quin & circa idem tempus Pontifices sibi auctoritatem canonizandi privative reservare cœperunt; eaque reservatio a non paucis Ecclesiis recepta fuit, potissimum auctoritate cuiusdam decretalis Alexandri III. relatæ in decretales Gregorii IX, sancientis: (b) etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. *) Haud tamen id ubique ita est ab Episcopis observatum, ut non & tardioribus temporibus extiterint eorum aliqui, qui veteri sua usi auctoritate, quosdam in suis Diœcesibus ceu Sanctos habendos declaraverint.

(a)

(a) Cap. I. de reliqui. S' venerat. Sanct. (b) Eodem c. 1.

* De hac Alexandri III. Decretali, immortalis memorie Benedictus XIV. P. in præstantissimo opere de Servor. Dei beatific. & Beat. canoniz. L. I. c. 10. §. IV. „ magnam „ inquit „ esse inter „ scribentes disputationem, an per illam indu- „ dum fuerit jus novum sedi Apostolicæ reser- „ vans privative quoad Primates & Episcopos „ & ceteros omnes, jus statuendi, an huic vel „ illi Servo Dei cultus præstari debeat nec ne, „ ablata ceteris omnibus facultate, quam ha- „ bebant in suis Provinciis & Diœcesibus indul- „ gendi Dei servis Beatificationis honores? seu „ potius, an jus hoc privativum fuerit, an per „ prædictam Decretalem introductum perinde, „ acsi eadem latam præsupponat aliam legem, „ aut antiquiorem introductam consuetudinem, „ quæ Apostolicæ Sedi jus illud privativum re- „ servaverint? „ Postea recensitis in utramque partem scriptoribus §. 8. rursus sequentia edif- serit: „ Edita porro ab Alexandre III. supra re- „ lata Decretali, subsequentia Ecclesiastica mo- „ numenta nedum aperte loquuntur de pote- „ state canonizandi, sed etiam beatificandi Ro- „ mano Pontifici privative quoad alios omnes „ reservata. „ Postemo afferit: „ inhibitam „ quidem fuisse a tempore Alexandri III. Bea-

„ tifi-

„ tificationem, quæ fiebat ab Episcopis : sed non
 „ nullas fuisse toleratas ab eis post dicta tempora
 „ factas, & quodammodo adprobatas, si cen-
 „ tenaria non deesset præscriptio.

§. X.

Etiā Jus
beatifica-
tionis,

Jus illud vetus Episcoporum, quo in
suis Dioecesibus quosdam ceu Sanctos haben-
dos declararunt, tandem penitus succidit
Urbanus VIII. edita An. 1634. constitutione,
qua perspicui limites statuti sunt auctoritati
Episcopali, omniaque ad cultum publicum
Beatorum pertinentia, & ipsa etiam Servo-
rum Dei *Beatificatio* *) sunt dilucide Sedi
Apostolicæ reservata.

*) Discretum beatificationem inter & canonizatio-
nem spectata antiquiori Ecclesiæ disciplina situm
erat in Episcopi præcepto de cultu coarctato,
& in ejus extensione ad Ecclesiam universam,
accedente Ecclesiæ consensu (§. II.) Ast hodi-
erna disciplina, post reservatum, cum beatifi-
cationis, tum canonizationis judicium Sedi Pon-
tificiæ „ ultima differentia minime quidem con-
„ sideranda erit, vel in permissione cultus, vel
„ in ejus coarctatione in personis, aut locis

„ particularibus, quae in Beatificatione habeatur,
 „ secus ac in Canonizatione, sed in extrema,
 „ & definitiva de Sanctitate sententia, cultum
 „ aliis Sanctis debitum in universa Ecclesia per
 „ Canonizationem, nequaquam vero per Beatifi-
 „ cationem præcipiente.“ Ita edisserit Benedi-
 tus XIV. de Serv. Dei Beatif. & Bear. canoniz. L.
 T. c. 39. n. 14. edit. Bonon. Hac differentia supa-
 posita, Canonizatio secundum hodiernam discipli-
 nam finitur: Publicum & definitivum iudicium de
 Sanctitate & gloria defuncti, simul extrema & de-
 finitiva sententia, qua illi honores, Sanctis debiti,
 in universa Ecclesia decernuntur.

§. XI.

Negotium & Canonizationis & Beatifi-
 cationis, juxta constitutionem Sixti V. ad Con-
 gregationem Rituum, cuius munus propri-
 um est, cultum Dei externum publicum rite
 ordinare, determinare ritus ac ceremoni-
 as, tollereque inde abusus, devolutum est.
 Hodie no us in causa Sanctificationis, Car-
 dinalibus & Prælatis, Congregationem Ri-
 tuum constituentibus, extra ordinem so-
 ciantur Prælati alii, nimirum Promotor fi-
 dei, tres seniores Auditores Rotæ, qui pe-
 riti in jure canontum munus Adsefforum ge-



rere videntur. Adhibentur porro & Theologi celebriores, qui Consultores vel respective Qualificatores audiunt. Quin & pro consilio adsumi solent Philosophi atque Medici arte peritissimi, quorum interest explorare, utrum operationes, quæ miraculis tribuuntur, rationem sufficientem in natura non habeant. Postquam repetitis vicibus congregatio celebrata est, & causa examini subjecta, negotium ad Congregationem publicam & solennem defertur, quæ Præsidente S. Pontifice celebratur. Hac in Congregatione Beatus decernitur, si de Beatificatione solum negotium gerebatur; si vero de Sanctificatione agitur, rursus Consistorium secretum habetur, ac tandem ultimum publicum & solenne, ad quod præter mox recensitos omnes Archiepiscopi & Prælati in curia præsentes convocantur, quorum omnium etiam votum exquiritur per quandam Concilii (cui pridem Sanctorum Canonizatio deferebatur §. VII.) imaginem. Re perfecta, præmissis precibus aliisque ceremoniis, quæ in Ceremoniali Romano (a) prolixe describuntur, instante Pro-

curatore causa, Pontifex alta voce pronuntiat in hunc modum: *Ad honorem Sanctæ Individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicae, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei omnipotentis, Patris, & Filiæ, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra de Fratrum nostrorum consilio decernimus, & definimus, bonæ memoriae N. Sanctum esse, & Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque catalogo bujusmodi adscripsimus.*

(a) L. 1. Sect, 6.

§. XII.

Quum Canonizatio publicum judicium, quod Romanus Pontifex vel Ecclesia in Concilio congregata ferunt de Sanctitate & gloria hominis cuiusdam defuncti (§. I. & Schol. ad §. X.) gloria autem, quæ in visione intuitiva consistit, hac in vita mortaliū nemo potiatur; Sanctitatem vero a via veritatis deflectendo, justitiamque deserendo amittere possit: continuo consequuntur, non homines vitam mortalem agentes, sed a mortalitate per mortem liberatos con-

Honos Sacrae Apotheoseos hominibus consummatæ Sanctitatis, vita jam funetis, deferuntur,

fummatæ Sanctitatis fama, dum viverent, celebres, in numerum Amicorum Dei Canonizationis ritu solenni, inscribi debere. *)
Enim vero: quia Beati in Deo param sine omni defectu bonitate in perspicue contemplantur, tam parum ab ejus amicitia avelli, aut etiam anticipites hærere in amando, fluctuante voluntate; quam parum velle malum qua malum; aut nolle bonum quatenus bonum, possunt.

*) Cultus Eliæ huicdum viventis, cūjus mentio sit in Martyrologio Romano, qui & cultu Missæ & officii, in Ordine potissimum Carmelitarum, colitur, nihil habet commune cum Canonizatione hominis viventis. Enim vero: Ecclesia non celebrat festum Eliæ ut Beati, sed ut rapti; quod erudite probat Pater de Graveson in Hist. 8. Ecol. V. T. Tom. 3. pag. 264. Cui adimplatur doctissimus Cornelius à Lapide in Gen. c. 5, Græci, inquit, celebrant festum Eliæ non Beati, sed rapti. Illo enim die tantum recolunt memoriam Raptus ejus, quia Raptus hic admirabilis. Eodem modo, & scopo Eliæ Tempa crexerunt Græci, quo festum illi instituerunt, scilicet ut testarentur, & recolerent memoriam tam miri Raptus Eliæ.

§. XIII.

Ut homines vita functi Sanctificatione
 in Ecclesia militante decorentur, duo copula-
 tive prærequiruntur: primo Sanctitas vitæ
 consummata; quæ in sincera morum probi-
 tate, non fucato virtutum heroicarum exer-
 citio, in perenni & non interrupta in bonis
 operibus ad finem usque vitæ perseveran-
 tia consistit; secundo miracula, sive in vita,
 sive post mortem patrata, quæ omnem na-
 turæ vim superent. Et quanquam sola
 excellentia vitæ sufficiat ad finem beatita-
 ris consequendum, ut quis tamen honorem
 Sacrae Apotheoseos indigescatur, ultra etiam
 miracula exposcentur. Audiamus Grego-
 rium IX. (a) ita decernentem: *Licet ad*
hoc, ut aliquis Sanctus sit apud Dominum in
Ecclesia triumphante, sola sufficiat perseveran-
tia finalis, juxta illud: Esto fidelis usque ad
mortem, & dabo tibi coronam vitæ; ad hoc
tamen, ut Sanctus habeatur apud homines in
Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus
morum, & veritas signorum, merita videlicet
& miracula, ut hæc & illæ sibi ad invicem
contestentur, cum nec merita sine miraculis,

nec miracula sine meritis plene sufficient ad perhibendum inter homines testimonium Sanctitatis.

(a) In Bulla Canonizationis S. Antonii Patavini edita 1 Junii an. 1233. in Bulla Rom. Tom. I. p. 100.

§. XIV.

Sanctitas.
temporum
consummatam
indicant
miracula.

Sanctitas hominis consummata, quæ in perenni & non interrupta in bonis operibus ad finem usque vita continuatione consistit, (§. præc.) humanæ cognitioni ita impervia est; ut nemo citra peculiarem revelationem certo & infallibiliter scire possit, semetipsum, multo minus alium, veram caritatem habere, vel habuisse, secundum illud Scripturæ: (a) *nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit.* Evidem interiores mentis recessus suopte intueri, nota, & demonstratio Divinitatis est; quod ex Sacrarum Paginarum oraculis liquet: *Tu (Deus) solus nosti cor omnium filiorum hominum* (b) & : *Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis* (c). Perfectissimi igitur dominatus nota est: in omnia, etiam interiora hominis ac Spiritus dominari: atque id cir-

circo soli Deo illapsus in mentes, ac penetratio quædam intima Spirituum, tum summa perfectissimaque comprehensio a Theologis permitta est. Cum itaque per se se constare non possit, Candidatum Sacræ Apotheoseos finaliter in Sanctitate persistisse, neque id ullo pacto ex Verbi Dei scripti vel non scripti auctoritate, & testimonio extundi valeat: ubi enim id scriptum vel traditum legimus? opus est aliis externis administriculis, queis hominis fidelis in Domino mortui Sanctitas innotescat. Tale adminiculum in Canonizatione virorum illustrium sunt prodigia sive in vita, sive post mortem patrata. *) Certe cum miraculum sit effectus supernaturalis, cuius ratio non continetur in vi ad universam naturam pertinente; consequens omnino est, miraculum omne a Deo ipso patrari, qui sua veluti testificatione id omne confirmat, in cuius probationem editur.

(a) Eccl. 9. v. 1. (b) III. Reg. 8. v. 39. (c) Psalm. 43. v. 22.

*) Quod ex his, quæ leguntur in actis canonizationis Sanctæ Mariæ Magdalene de Pazzis colle-


Actis a Domino Capello, & editis Romæ A. 1669.
 eruitur: Itaque die 10. Septembris 1668. in Co-
 gregatione Sacrorum Rituum habita coram eodem
 Sanctissimo quinque de allatis miraculis post iudic-
 tam Beatæ Venerationem, præhabita matura dis-
 cussione, disputata sunt; Et Sanctitas sua, auditis
 iterum Consulteribus, tum ab iis, tum a Cardina-
 libus requisivit, an iuto procedi posset ad Solemnem
 Beatæ Mariæ Magdalenaæ Canonizationem; Et on-
 nes concordibus suffragiis in affirmativam senten-
 tiam conveuerunt. Rursus Cyprianus Cornelium
 inter gloriosos Martyres deputavit virtutum &
 signorum recognitione. Ambrosius pariter, au-
 ditis miraculis, Gervasium & Protasium Sanctorum
 Albo adscriptis.

§. XV.

Prodigia a viris illu-
stribus pa-
trata sig-
nus San-
ctimoniacæ
indubita-
tum &
prorsus in-
fallibile
non sunt.

Etsi vero miraculum omne a solo Deo
 ortum ducat, qui sua veluti testificatione id
 omne confirmat, in cuius probationem pa-
 tratur, tamen quia citra revelationem nemo
 mortalium certo & infallibiliter scire potest,
 prodigia per Sanctos edita, in testificatio-
 nem Sanctimoniacæ eorundem consummatæ,
 fuisse facta: sequitur miracula aviris illustri-
 bus patrata argumentum Sanctimoniacæ indu-
 bitatum prorsus, & infallibile haud præbere;
 quam-

quamvis adeo conspicua esse possint, ut mo-
ralem sanctimoniarum certitudinem ingerant.
Neque enim teste Francisco Veronio (a) su-
pernaturali fide ullum credere cogimur ex
iis miraculis, quae extra canonicas Scriptu-
ras a Sanctissimis etiam Viris atque Conciliis
universalibus referuntur. Enim vero pa-
tratio miraculorum est gratia gratis data,
qua perinde potest etiam hominibus per-
ditissimis a Deo conferri. Id colligitur ex
verbis Christi Domini apud Matthæum (b)
ubi de falsis Prophetis sermonem informat:
*Multi dicent mibi in illa die: Domine, Domi-
ne, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus,
& in nomine tuo virtutes multas fecimus? Tu
tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos:
discedite a me, qui operamini iniquitatem.* *)
Porro de miraculorum existentia & verita-
te non aliter, quam instituto prævio, ad-
curato, & exacto examine & inquisitione, te-
stibus, instrumentis, aliisque documentis fide
dignissimis constare potest: judicium autem
in questione facti historici argumentis mere
humanis, quae quamvis non semper fallant,
fallore tamen possunt, & utrum non fallant,



certo non scitur, nixum, ab errandi periculo
minime alienum esse, censeri debet, Nam
ignorat nemo, fuisse olim, & adhuc esse,
imo eorum sobolem diu duraturam, qui mi-
racula confinxere, sive prayum, sive bonum
in finem, aliosque plures fuisse, qui sine ullo
criterio atque indiscriminatim, tam veris
quam fictis mirabilibus adjunxere fidem,
eaque ad posteros bona fide transmiserunt.
**) Denique admodum difficile est, vera mi-
racula a fictis prodigiis internoscere, nisi
tanta adsit veritatis evidentia, quæ quasi sub
aspetum, tacitumque cadat.

(a) *In sua Reg. fidei gen.* (b) *Cap. 7. v. 22.*

*) Maldonatus in hunc locum taliter commenta-
tur: „ Facile colligitur falsos istos Prophetas,
„ de quibus loquitur Christus, vera miracula
„ facturos, vere prophetasse, vere dæmonia eje-
„ cisse.“ Quod confirmat etiam hac ratione:
„ Non enim respondet Christus, mentiri eos,
„ sed se eos, quamvis ista fecerint, non
„ nosse.“ Et rursus: „ Mirum non esset, si illis,
„ qui non vera sed falsa miracula fecissent, re-
„ sponderet, se non nosse eos, valde autem mi-
„ rum, ut iis, qui vera fecerunt miracula, ita
„ respondeat.“

**)

**) Neminem latet etiam hoc, quo vivinus seculo, quod præcipue ob artis criticæ præstantiam, eruditio*nis* seculum appellari solet, plurima prodigia nimia quorundam fidelium credulitate fuisse divulgata. Anno 1716. Liber Coloniæ prodiit, in quo miraculum fingebatur, Massilie coram 10 & amplius spectatorum millibus patratum. Anno 1727. Lutetiæ Parisiorum in S. Medardi cœmeterio Francisci Paris Diaconi prodigia venditari cœperunt, quorum veritas non rudibus tantum hominibus, sed pluribus primi subsellii literatis probata fuit. Vide sis *Montgeron la Vérité des Miracles opérés à l' intercession de Mr. Paris &c.* & ut alia taceam, in ore omnium adhuc personant subitanæ curationes R. D. Joannis Josephi Gassner, de quibus quid sentiendum sit, ad judicium Majorum referendum est, consulendæque propterea sunt editæ hactenus super hoc punto geminæ *Pastorales*, per Diœceses Juvaviensem scilicet & Pragensem vulgatæ. Dum autem istic asserto fuisse plurima facta miracula, impia audacia omni ævo confusa, procul sum ab eorum temeritate, qui veris miraculis fidem negare præsumunt, quia falsis deprehenduntur immista: fuerunt enim ac æternum erunt in vera Ecclesia Dei miracula vera, quæ Deus operatur per Sanctos. Id unum volo: miracula etiam a Viris illustribus edita, infallibile prorsus citra divinam revelationem Sanctimoniaz haud ingene-

rare argumentum; quod prudentum nemo, ut
arbitror, mihi succensebit.

§. XVI.

Nec rela-
tio alicu-
jus in Mar-
tyrologi-
um, & Bre-
viarium
Romanum

Illud etiam satis certum videtur, quod
inscriptio alicujus in Martyrologium & Bre-
viarium Romanum, infallibile beatitatis non
suppediter argumentum. Nam aliquos er-
rores in Martyrologia (par esto judicium
de Breviario Romano) olim irrepsisse, qui
subinde correcti sunt, & plura menda huc-
dum corrigenda superesse, viri docti no-
runt, *) & modo temeritas absit, modestus-
que critics usus in consilium advocetur,
habebunt heic, in quo porro ingenia exer-
ceant. Evidem multi velut Sancti in Mar-
tyrologium adscripti sunt, de quibus me-
rito dubitatur, imino qui heresi in vita se
contaminarunt. Profecto „ Sanctam Fœ-
minam Veronicam, Virginum Sanctæ Ur-
sulae Sociarum undecim millia, aliosque
hujusmodi Sanctos Ecclesia olim toleravit
& adhuc tolerat, tametsi an unquam fue-
rint, nunc doctissimi Viri non injuria du-

bi-

„bitent, & de aliis nonnullis dubitare li-
„cillum putent. Inquit Cl. Muratorius.

(a)

(a) de ingenior: *Moderat. L.*, i. c. 17.

* Errari heic posse (ait Christianus Lupptis Tom.
III. Schol. in can. p. 573. & seq.) docet nuper
Martyrologii Romani purgatio; quæ plures Dona-
tistarum, ac aliorum hereticorum falsos martyres
in erro expunxit. Et post pauca dicit: eandem
esse rationem de insertione in Romanum Brevia-
rium.

§. XVII.

Nec porro, quod sciam, ullus dubi-
tat, testimonium Episcopi, seu Ecclesie vel
Synodi particularis de vita Sanctitate, &
gloria hominis in Domino mortui, privi-
legio inerrantiae non gaudere. Si enim Epi-
scopi in Synodis particularibus congregati
in faciliendis fidei, morumve regulis erra-
re possunt, errare aliquando, ac multo
etiam magis in judicio de Beatitate homi-
nis demortui poterunt. Id probant plures
abusus hac in causa facti, dum nonnulli
ab Ecclesiis particularibus ut Sancti celebra-

Nec por-
ro cultus
publicus
ab Ecclesia
particulari
permisus,
vel ex ad-
clamatio-
ne populi
ortum tra-
hens.

ban-

bantur, qui nec Sanctitatis umbram habuerent. Et haec una inter alias rationes mihi esse videtur, cur Romani Pontifices ab Episcopis exercitium illud antiquum declarandi aliquem Sanctum, etiam pro sua Diocesi vel Provincia, ad se privative attraxerint. *) Quod vero testimonium populi, cultu publico Sanctum quempiam honorantis, concernit; id unum ajo: illud non majori inerrantiae privilegio fulciri, ac Ecclesia particularis, quam populus cum Pastoribus representat. **)

*) *Audivimus, inquit Alexander III. quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quendam in potionē & ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur: cum vix pratalibus in ebrietatibus perentis, Ecclesia permittat orare: dicit enim Apostolus: ebrios regnum Dei non possidebunt. Illiū ergo non presumatis de cetero colere: cum etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesie venerari. Cap. 1 de reliqui & venerat. Sancti.*

**) *Populum cultu falso in errorem ductum faisse, exempla palam ostendunt: apud Severum Sulpitium iuxta editionem Georgii Hermii pag. 455. in vita*

vita S. Martini legitur, exhumata, Deo afflante, ossa
 cujusdam latronis in inferno damnati, cui populus
 cultum Sanctorum deferebat. Apud Lucam Tu-
 dentem Tract. contra Albigenses & apud alios Ar-
 naldum hæreticum habemus per sexdecim annos
 fuisse ut Sanctissimum Martyrem populi frequen-
 tia adoratum, innumeris confictis miraculis, & cum
 eo sepultam homicidam, quem miraculis corus-
 cantem Sanctum Abbatem adpellabant, qui Patronum
 Ordinis Prædicatorum & Minorum opera detecti,
 atque exhumati, dispersi fuere. Rursus Julia
 Evodia apud Tolosates, Sandus quidam Viar
 apud Hispanos, quibus lapidaris quædam inscrip-
 tio occasionem erroris præbuit, divorum cultu
 erant celebres, quanquam ne Christiani quidem
 fuisse a viris cerebrum in capite, non in calcaneo
 portantibus, deprehensi sunt, ut refert Mabillonius
 Tract: de Sanctis incognitis. Nempe Cœnobitæ
 quidam minus acuti inscriptionem D. M. Julia
 Evodia legerunt: *Diva Martyr Julia Evodia*; &
 alterius extitæ fragmentum: S. VIAR. falso ju-
 dicio Sanctus Viar sunt interpretati, cum tamen
 primum *Diis Manibus Julia Evodia*; & alterum
Præfectus Viarum legendum esset.

§. XVIII.

Denique neque relatio in album Sanctorum Nec den-
 quam Beatificationem dicimus, (§. X. schol.) que Beati-
 ficatio in-
 par- fallibile

Sanctitatis
argumen-
tum sup-
peditat.

particulari alicui Ecclesiaz, provinciaz, regno,
aut Ordini religioso facultatem impertiens
colendi aliquem ut Sanctum, infallibilis testi-
monii est. Evidem res pene certa videtur,
Ecclesiaz judicium in Beatificatione non esse
omnino infallibile, quia ut Benedictus XIV.
notavit (a) hujuscemodi judicium non est
præcipiens, sed solum permittens cultum illius,
qui inter Beatos refertur. Ego sequentem
causam adjicio: quia Ecclesia in Beatificatio-
ne, non secus ac miraculorum patratione (§.
XV.) ex quibus honos Beatificationis de-
ducitur, solum hominum testimoniis nititur:
porro hominum testimonia nimium quam
esse fallibilia quis non novit? eapropter est,
quod cum a Beatificatione ad Canonizatio-
nem proceditur, novum de Sanctitate exa-
men, novi testes, & miracula constituantur.

(a) L. I. de Serv. Dei beatif. c. 42;

^{*)} Pro asserto hoc magis confirmando vel ideo
plura non attuli, quia ea, quae mox Canoniza-
tionem infallibile prorsus testimonium Sanctitatis
non probere probabunt, multo amplius Beatifi-
cationem posse quoquam modo deficere, stabilient.

§. XIX.

§. XIX.

Major difficultas est, ubi agitur de relatione hominis a mortali contubernio separati in Divorum numerum, quæ more loquendi hodierno *Canonizatio* suevit nominari, qua nimirum solenni ritu & adparatu a Romano Pontifice (§. XI.) vel Concilio quisquam tanquam *Sanctus*, atque *Amicus Dei Ecclesie* universæ colendus præponitur, an inde oriatur indubitatum & infallibile *Sanctitatis consummatæ & gloriæ indeptæ testimonium*? Hac in quæstione Theologi in diversas abeunt sententias: sunt, qui statuunt Ecclesiam in negotio Canonizationis ita a Spiritu S. regi, ut nunquam erret, aut errare possit; sunt etiam alii non pauci magni nominis Theologi & pii & docti, qui infallibilitatem Ecclesie hoc in negotio non tantum in dubium vocant, sed sine dissimulatione eandem quoque negant. Et quia neutram sententiam hucusque Ecclesia, aut Apostolica Sedes, suo calculo firmavit; integrum mihi erit, quæstionem adhuc incertam ea animi reverentia & modestia, quæ tam arduis & delicatis rebus debetur, ver-

An solen-
nis Cano-
nizatio ar-
gumen-
tum pro-
fus infalli-
bile inge-
neret, quæ-
stio diffici-
lis & an-
ceps est.

sare, & argumentum istud filio liberiori pertractare, quod sedes Romana (cui omnia mea sensa humili obsequio subjicio, nullam aliam tueri sententiam paratus, quam quæ illi placuerit) nondum suum heic aperuerit judicium; & alioquin eam Pontificibus Summis inhærere mentem sciam, ut in omnibus veritas vincat. Profecto, qui Summi Pontificis omne de re quacunque judicium temere & sine delectu defendunt, hi Sedis Apostolicæ auctoritatem labefactant, non fovent, evertunt, non firmant. Nam quid tandem adversus hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint non iudicio, sed affectu patrocinium Auctoritatis Pontificiæ suscipere, nec id agere, ut disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat; sed ut se ad alterius sensum voluntatemque convertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulazione non eget. Ita cordate inquit Melchior Canus (a).

(a) L. 5. c. 5. de locis Theol.

§. XX.

Re, quantum per vires licuit, probe discussa, eorum sententia efficacioribus nisi rationibus videtur, qui sancte quidem profitentur in Canonizatione Sanctorum, eo, quo nunc peragitur adcurato diligentique studio, nullum errori locum fuisse, aut deinceps futurum; judicium tamen Ecclesiae, aut Pontificis de Sanctitate consummata & beatitate hominis pie defuncti, dono inerrantiae indubitatae & inconcussae gaudere, eunt insicias. Enim vero certum & undequaque firmum sive Pontificis sive Ecclesiae judicium esse non potest, quod non omnimode certis & firmis principiis ac fundamentis innititur; talia autem principia certa & inconcussa esse Sacram Scripturam & divinas Traditiones, ad quae tanquam ultimum tribunal omne judicium Ecclesiae exigitur, & in quo cœu fundamento firmissimo fulcitur, nemo catholicorum est, qui in dubium vocet. Porro judicium, quod Romanus Pontifex vel Ecclesia in Concilio congregata ferunt de Sanctitate & Beatitate hominis cuiusdam pie defuncti, non ex Scriptura aut Traditione divina;

Negativa
sententia
videtur
probabilie
or.



ubi enim scriptum vel traditum legimus, Candidatum Sacræ Apotheoseos in gratia deceſſisse ? sed ex prodigiis (§. XIV.) de quorum existentia & veritate incertis hominum testimoniis constare potest, quæ a perditissimis etiam hominibus patrari possunt (§. XV.) proficiscitur. Restat igitur ut ex mutabilibus & incertis hominum testimoniis de Sanctitate & Beatitate hominis cuiusdam vita pie fundati, sententias, five Pontificis, five Ecclesiae in Concilio congregatae immutabiles ac prorsus infallibilis non esse colligamus.

§. XXI.

*Idem con-
firmatur.*

Et profecto nec Romanus Pontifex, nec Patres communiter congregati scire certo possunt, an homo, Divorum Fastis solemnni ritu inferendus, caritatem veram, quæ sola, attestante D. Augustino (*a*) distinguit inter Filios regni & perditionis, habuerit, inque ea decesserit ; etiam nemo ullus circa peculiarem revelationem certo scire potest, semet ipsum, multo minus alium veram caritatem aut habere, aut habuisse, juxta illud:

ne-


nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit.
(b.) Hinc Paulus Apostolus, quanquam cum
 precibus & jejuniis, tum corporis afflictionibus
 continua daret operam, ingenuo tamen
 confitetur: *nihil mihi conscient sum, sed non in
 hoc justificatus sum.* **(c.)**

(a) *Lib. 5. de Trinit. c. 18.* **(b)** *Eccl. 9. v. 1.* **(c)**
I. Cor. 4.

§. XXII.

Ab his fundamentis, ut quoquo modo se
 expediant Adversarii, duo reponunt: ejusmodi
 summorum Pontificum judicium non præ-
 viis tantum miraculis in vita factis inniti, ve-
 rum etiam miraculis post obitum hominis,
 in Canonem Sanctorum referendi! in quo the-
 mate (inducunt Benedictum XIV. loquen-
 tem) *miracula sunt indubitata signa Sanctitatis.*
 Porro ajunt: quidquid ex testimoniis qualitate
 pro fallibilitate desumitur, plene subinoveri
 ex divina providentia, & Spiritus Divini ad-
 promissa praesentia: *cum venerit ille Spiritus
 veritatis docebit vos omnem veritatem,* (a) quæ
 Pontificem in re adeo gravi, & universam
 Ecclesiam respiciente, immunem ab errore

Duae ad-
 versario-
 rum re-
 sponsio-
 nes.



servat. Ad communes enim Ecclesiæ mo-
res plurimum attinet scire, & sœpe scitu ne-
cessarium est, an is, qui privata populi pie-
tate pro Sancto viro habetur & colitur, re-
vera inter Divos ut amicus Dei colendus, an
potius inter damnatos sit. Et quamvis Divi-
nus ille Spiritus nusquam se ad futurum pro-
misit hominibus singulis, ne, si de statu suo
voluerint cognoscere, fallantur; idem tamen
Spiritus veritatis ad futurum se illustratione
sua ad promiserat tum, quum aliquid de re
gravi ad gubernationem pertinente, co-
gnoscere Ecclesiæ fuerit necessarium.

(a) *Ioan. 16. v. 13.*

§. XXIII.

*Quarum
prima re-
felliuntur.*

Verum si dicendum quod res est: sal-
va, quæ his viris debetur, reverentia, lubens
admitto, quod miracula post obitum patra-
ta Sanctitatis signa indubia forent, si certo
constaret ea fuisse patrata in testificationem
Sanctimoniaz hominis cum fama integratatis
defuncti; non secus ac in testificationem
Sanctitatis Eliæ, factum est, quod ignis per-

pro-

prodigium e cœlo depluens devoraverit quinquagenarium Principem, & quinquaginta cum eo, qui erant missi a Rege Ochotzia ad Eliam Virum Dei *) *si homo Dei sum,* inquit Elias ad quinquagenarium Principem, *descendat ignis de cœlo, & devoret te & quinquaginta tuos.* *Descendit itaque ignis de cœlo, & devoravit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo (o)* Sed quum finis miraculorum universalis primariusque sit Dei omnipotentiam suam manifestantis gloria: quis Pontificum ex firmis & inconcussis Sacrae Scripturæ & Traditionis principiis, ad quæ inerrantia Ecclesiæ exigitur, prodigia post obitum in testificationem Sanctorum & beatitatis hominis demortui fuisse facta certus dñducere poterit? (§. XV.) Præterquam quod prodigia etiam post obitum patrata, non nisi hominum testificatione, quæ fallax esse potest, innotescant. **)

(a) L. 4. Reg. c. I. v. 10.

*) Simili prorsus modo miracula a Jesu Christo in testificationem suæ doctrinæ facta luculentissime sunt testimonia Divinae revelationis; quia Divinus Legislator Christus doctrinam, quam Aposto-

lis tradidit, istique toto terrarum orbe prædicarunt, clarissimis certissimisque miraculis, palam, omnibusque spectantibus, veluti totidem divinæ auditoritatis signaculis confirmavit. Hinc ad miraculorum suorum testimonium saepius incredulos provocabat: *Io. c. 5. v. 36.* *Ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* *Ibidem c. 10. v. 37. & 38.* *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in patre.* Insuper Christi miracula ex veterum Prophetarum oraculis fuerunt multo ante prædicta, & eventus illorum continua traditione confirmatus. Quare si etiam certitudinem horum prodigiorum non aliam spectaremus, quam quæ in historia haberi potest, hæc tanta est, ut illi, quæ ex mathematicis demonstrationibus resultat, æquiparari possit.

**) Praclare hac de re sermocinatur Augustinus de Ancona sive *Triumphus de potestate Ecclesiæ q. 17.*
 „ a. 4. „ Dicendum “ inquit „ quod aliter judicat „ Deus, & aliter homo; quia Deus judicat iudicio „ interiori habens pro teste ipsam hominis con- „ scientiam, juxta illud ad Rom. 12. Testimoni- „ um reddente illis conscientia ipsorum, & inter „ se invicem cogitationum accusantium aut de- „ fendentium. Ideo Deus in suo iudicio non fal-

„ fallit, neque fallitur. Sed homo judicat judi-
 „ cio exteriori, habens pro teste operum exte-
 „ riorum evidentiam: ideo potest falli, & falle-
 „ re. ecclesia ergo non errat canonizando ali-
 „ quos Santos, quia non canonizat, eos esse
 „ Santos judicio Divino secundum determina-
 „ tam sententiam, sed judicio humano secun-
 „ dum quem modum Sancti sunt hominum re-
 „ putatione & veneratione „ Hujus gravissimi
 Auctoris sententia, quamquam prima fronte favo-
 rabilis videatur infallibilitati Romani Pontificis
 in Canonizationis judicio, re tamen talis non
 est. Evidem ex ea non nisi deducitur, Ro-
 manum Pontificem minime mentiri, nec simulare,
 dum aliquem Dei Servum Sanctorum Catalogo
 adscribit, cum quo utique stare potest, quod
 judicium Pontificis in Canonizatione Sanctorum
 absolute fallibile esse possit.

§. XXIV.

Quod secundo loco ajunt, acciperem Et alterz.
 Iubenter, modo probabili aliqua ratione
 ostenderent necessarium hominibus, fidei
 & Ecclesiæ cultum novi alicujus Sancti, fi-
 demque de illius beatitate colesti. Operæ
 pretium est heic Concilii Tridentini verba
 perpendere, quod, cum Episcopis præscri-
bit,

bit, quo sit ipsis modo de Sanctorum invocatione dicendum, docere jubet (*a*) *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque NB.*
*utile esse *) suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxilium configere.* Hæc est Ecclesiæ fides, quæ postquam tam perspicue, tam paucis verbis est a Tridentinis Patribus exposita, non intelligo, qui nobis opponi possit, ad communes Ecclesiæ mores scitu necessarium esse, an is, qui pro Sancto Viro habetur, & colitur, revera Sanctus sit. „Utile est, non necessarium,
 „ista habere, ista scire. Innumeræ aliæ
 „veritates sunt, quas novisse in utilitatem
 „Christianorum cederet, & illas tamen
 „certo decernere, nunquam sibi tribuit,
 „aut tribuere potest Ecclesia. Neque ve-
 „ro etiamsi in re tanti ponderis ab errandi
 „periculo immunes non credantur Syno-
 „di universales & Romani Pontifices, ejus-
 „modi inde consequuntur incommoda, ut
 „oporteat inauditam antiquitus opinio-
 „, nem

nem amplecti. „ Ita differit doctissimus non minus ac pientissimus Muratorius (b). Ad textum Scripturæ quod attinet, permixtum mihi adparet, adversarios non videre eum nimium probare, si huic materiæ accommodetur. Enim vero probaret, Pontifices & Ecclesiam dono inerrantia etiam in quæstionibus philosophicis, aut puri facti gaudere, quod nemo Theologorum admittit. Quare promissione hac Salvatoris, non omnem procul dubio veritatem revealandam a Divino Spiritu, sed omnem tantummodo veritatem, quæ ad salutem, & ad veræ fidei integratatem, conservationemque necessaria sit, complecti ex omnium interpretatione perspectum est.

(a) *Seff. 25. de Invoc. Sanc*t*. (b) *de ingen. moder.*
L. I. c. 17.*

*) Quamvis pia, & utilis sit invocatio Sanctorum, nullum tamen de iis invocandis extat præceptum, quum neque Scriptura, neque alias Ecclesiasticus canon sub salutis æternæ amissione id uspiam præcipiat. Adi sis Wallenburgicos Tom. II. *controv. fidei L. 12. Tract. IV.* Henricum Holden in *Divinæ fidei analysi L. 2. c. 7. Epis-*

sco.

scopum Castoriensem de Sanctorum cultu. Joannem Fabrum adversus Oecolampodium. Et profecto: Nam Christus est solus Mediator noster naturalis & substantivus, qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis. Ad Heb. 7. v. 25. Unde percipiet quisque, preces Christi tantæ esse virtutis & efficacizæ, ut ipsius sole perpetuam æternamque salutem conferre nobis queant. Sed probe advertendum est monitum illustr. DD. de Wallenburch loco laudato §. 7. sic ajunt: „ Sicut diximus, fidelibus esse liberum „ invocare, vel non invocare Sanctos, venerari „ vel non venerari, eosdemque fideles posse sal- „ vari, sive id ipsum faciant, sive non faciant; ita „ pariter asseveramus, iisdem fidelibus nullaten- „ nus esse liberum credere vel non credere, an „ omnia prædicta sint licita, bona, & honesta.

§: XXV.

Alia diffi-
cultas ob-
jicitur.

Attamen inquiunt aliqui: tar-
tareis Spiritibus Ecclesia illa, adversus quam
portæ inferi non erant prævalituræ, ludibrio
esset, si eos, qui damnatorum societati ad-
scripti æternis suppliciis apud inferos excru-
ciantur Dei ac Christi inimici, ipsa tanquam
divos coleret in aris, & eorum patrocinium
suis

suis precationibus interpellaret in cœlis, qui
Deum iratum experientur in inferis. *Non
resert*, inquit Canus (a) *diabolum colas, an
hominem damnatum.*

(a) *Loc. Theol. L. 5. c. 5.*

§. XXVI.

Verum non, video qui ista inferri pos- Enodatur,
sint: esto enim in Canonizationis judicio er-
ror possit obrepere (quem certe, modo rite
peracta sit Canonizatio, contigisse nemo un-
quam ostendet, & contingere posse difficil-
limum existimo) at eo nihil pietas Ecclesiæ
perstringitur, non fidei veritas contaminatur,
nec denique Ecclesia Dei Tartareis Spiriti-
bus risui & ludibrio exponitur. Evidem
„sacrorum Ecclesiæ Pastorum „ (loquor
„acutissimum Muratorium) cœlestis præro-
„gativa sita est non in immunitate ab omni-
„bus erroribus, sed ab erroribus in doctrina
„Christi, & in factis per Apostolorum cala-
„mum aut vocem traditis. Ecclesiam in aliis
„falli posse jam vidimus sine dedecore suo,
„sine fidei detrimento. Quis enim nescit,

„ tot Sanctorum reliquias publico donari
 „ cultu, & Romanorum Pontificum, aliorum
 „ que Episcoporum, & interdum etiam an-
 „ tiquitatis diuturnæ auctoritate probari :
 „ quas tamen qui certo fidei divinæ afflens
 „ credendas esse affirmet germana corun-
 „ dem Sanctorum Lipsana, plane a veritate
 „ absit ? - - - Errores igitur, & incommo-
 „ da ex his potuerunt, & possunt adhuc
 „ accidere. At non ea sunt, ut eorum cau-
 „ sa fœdari, aut deficere Religio vera, aut
 „ rugas inde contrahere possit. Isti sunt,
 „ ut scholarum vocabulo utar, errores ma-
 „ teriales, cavendi quantum fieri potest, sed
 „ nullum animabus periculum, nullum ve-
 „ ræ Ecclesiæ infamiam creantes „ (a) Cul-
 „ tus vero noster, quum veneramur quem-
 „ piam, quem beatum putamus, Deum respi-
 „ cit, juxta illud Psalmis Regii : *laudate Domi-
 „ num in Sancis ejus.* (b) Rursus in Sancto quo-
 „ libet homine seu superstite, seu in cœlos
 „ ave[n]to non suspicimus, non colimus nisi
 „ pulcritudinem justitiae incorruptibilem: huic
 „ honorem, huic amorem, huic venerationem
 „ omnem dedicamus. Num qua potest si-

mulatio, aut famæ nugacitas officere, ut pul-
 critudo justitiae colenda, vel amanda non sit?
 ea si in hoc homine non erat, in quo inesse
 existimabatur, erat illa nihilominus colen-
 da, amandave. Tali ergo cultori justitiae
 quid hic error obesse potuit? obesset enim
 immane quantum, si injustitiam coleret, si
 turpitudinem admiraretur: at dum non nisi
 justitiam & honestatem colit, ubi cunque
 demum ea vel esse putetur, vel reapse sit,
 non aberratur omnino a scopo, non aber-
 ratur a fide. Verba Cani non videntur re-
 flexe prolatæ. Evidem neminem unum
 inventum iri puto, qui si mox dicta ad ani-
 mum referat, ea exaggrate dicta, non suo-
 pte deprehendat. Addam tamen obiter,
 quanquam nihil interest: nam dum colitur
 Sanctus, qui prudenter talis creditur, quan-
 quam Sanctus non sit, sed damnatus, fides
 bona animum purgat, * non secus ac si quis
 adoret hostiam ab eo consecratam, qui pub-
 licè, & ab omnibus haberetur Sacerdos, &
 tamen re ipsa non esset. At in cultu diabo-
 li, fides bona errorem purgare haud potest
 quia dæmonem unumquemque reprobum
 esse



esse ex divina revelatione singulatim no-
vimus.

(a) *De ingen. moder. L. 1. c. 17.* (b) *Psal. 150.*

^{*)} Confirmat id *Glossa in cap. unicum de Reliqu.*
Et vnu. S. S. in 6. Et si Ecclesia in Canonizatio-
ne Sanctorum erraret, quod non est credendum,
licet accidere posset, nihilominus preces in hono-
rem talis acceptae Et gratiae sunt.

§. XXVII.

Adversari- Præterea : Adversarii doctrinam suam
is non fa- auctoritate Angelici Doctoris subnixam glo-
vet S. Tho- riantur ; Verba sequentia adducunt S. Præcep-
toris ; dicendum quod Pontifex potest certifica-
ri de statu alicujus per inquisitionem vitæ, Et at-
testationem miraculorum, Et præcipue per instin-
ctum S. Spiritus, qui omnia scrutatur etiam pro-
funda Dei (a) Verum lubenter addmitto,

quod Pontifex per instinctum Divini Spi-
ritus ab errore præservari in negotio Sancti-
ficationis possit, sed quod infallibiliter præ-
servetur, id non asserit Divus Thomas. *) Imo
clare mentem suam exponit, dum pie cre-
dendum esse, inquit, quod nec etiam in bis

ju-

judicium Ecclesiae errare possit. (b) Non necessario igitur, sed pie credendum est, nullum in Sanctorum Canonizatione errorem fuisse, aut deinceps futurum. Hæc nobis æquissima, hæc pia videtur sententia, & in hac ipsemet Magnus Augustinus fuisse videotur, dum objectioni sibi factæ circa Martiria quarundam Virginum, quas Ecclesia venerabatur, respondet : de his nihil temere audeo judicare, utrum enim Ecclesia aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic bonoret, divina persuaserit auctoritas nescio : Et fieri potest, ut ita sit - - (c)

(a) Quodl. 9. Q. 7. a. 16. (b) eodem loco. (c) L. I. de civ. Dei. c. 26.

*) Cajetanus Cardinalis, Pontificiæ auctoritatis assertor, & vindictus acertimus in Tract. de indulgentiis adversus Lurberum, ad Julianum Medicœum S.R.E. Cardinalem, e. g. errorem humanum in Canonizatione alicujus Sancti intervenire posse asserit, hujusque sententiaæ auctorem S. Thomam appellat, „ Præsumitur “ inquit „ de jure prædicti „ ce semper, nisi manifeste adpareat error, & supponens ex causa legitima datam indulgentiam tantam, veritatem prædicat: sicut absque falsitate te prædicat, talem Sanctum supponens illum esse canonizatum. Ita quod dato quod iste can-

=====

„ nizatus non esset Sanctus, sed damnatus, Eccl.
 „ siæ doctrina aut prædicatio non esset mendax,
 „ aut falsa : quia hic pertinentia ad finem non in-
 „ telliguntur adfirmari & prædicari, nisi cum gra-
 „ no salis, hoc est, sanctibus communiter præsum-
 „ tis : præsumit enim Ecclesia Canonizationem
 „ rite factam, & similiter indulgentiam rite da-
 „ tam, & sic prædicat indulgentias valere,
 „ quantum sonant. “ Sed sicut potest intervenire
 error humanus in Canonizatione alienus Sancti (ut
 S. Thomas dicit) ita potest intervenire error hu-
 manus in collatione indulgentiæ. „ Si quis autem
 „ putet, Romanum Pontificem non posse errare
 „ in ipsis particularibus actionibus, putet quo-
 „ que, ipsum non esse hominem. “

§. XXVIII.

Judicium
Ecclæsiæ
de beatita-
te hominis
est de fa-
cto.

Sententia, quam assumsi, porro stabi-
litur : an hic vel ille cælitum catalogo in-
terendus virtutibus excelluerit, atque in his
non interrupta ad finem usque vitæ conti-
nuatione perstiterit, prodigiisque inclaru-
erit, quæstio facti est. Judicium autem Ec-
clesiæ in controversiis facti particularibus,
quæ ex informatione, testimoniisque homi-
num præcipue pendent, plenam firmitatem
non obtinet. Aliud dicendum est de factis re-

velatis, & in Scriptura contentis, e. g. quod Christus Dominus natus sit in Bethleem, adoratus a Magis &c; vel etiam ex traditione constantibus, ut canonicos libros fuisse a Scriptoribus ἀγιογενέσοις exaratos, ejusmodi facta parem cum dogmatibus firmitatem obtinent, quum non illa minus, quam ista fuerint a Deo, sive a Scriptoribus divinitus inspiratis, & ex munere Dei falli nesciis, nobis revelata. In factis autem iis, quæ Apostolorum ætatem subsequuta sunt, aut per traditionem a Christo atque Apostolis nuntiata fuisse non constat, Ecclesia & Summi Pontifices falli possunt, & re ipsa quandoque errarunt. Illustria sunt Innocentii III. verba (*a*) *judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiae non nunquam opinionem sequitur* (in definitionibus nempe factorum, nam quæ ad dogmata & fidem spectant, veritati divinæ jam revelatæ innituntur) *quam & fallere sc̄pe contingit, & falli.* Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia inno-
datus.

(a) Cap. *A nobis de Sene. excom.*

§. XXIX.

Respon- Ajunt quidam: hunc vel illum, Albo
Dent Ad- Sanctorum inferendum, claruisse virtutibus,
versarii. & in Sanctimonia perseverasse, non est
 quaestio facti qualiscunque, sed facti dogma-
 tici cum quaestione juris connexi: quaestio e-
 nim, utrum vita mortali defunctus in cari-
 tate decesserit, & cultu publico colendus
 sit? spectat ad morum materiam, & cum
 doctrina de Sanctitate Ecclesie & Sancto-
 rum hominum invocatione nexus habet.

§. XXX.

Præcludi- Sed argumentum hoc precario inni-
tur re- xum est fundamento. Evidem sunt &
sponsum. doctissimi & pientissimi viri non pauci, qui
 recentem hanc esse doctrinam contendunt,
 Majoribus nostris ignotam, qui sine ulla
 distinctione Ecclesiam in omnibus factis er-
 rare posse docuerunt.* Et profecto Ecclesie
 & Successoribus Petri, non ea quoque a Chri-
 sto adjuncta sicut prærogativa, ut ejusmodi
 facta

facta dogmatica decernere possent, non se-
 cùs ac fidei dogmata, certissimo calculo.
 Id si e vero dici posset, licebit pariter af-
 firmare, posse R. R. Pontifices Sacrae Con-
 cilia non nulla fidei dogmata definire,
 quorum nullum extabit sacris in literis, di-
 vinisque traditionibus fundamentum. Quod
 enim ex speciali Spiritus S. assistentia defini-
 tuin jactabitur, non poterit non esse infalli-
 biliter definitum; quibus ergo nitetur Eccle-
 sia regulis ad hujusmodi facta dijadicanda?
 Regulis criticæ seu doctrinæ & prudentiæ
 humanæ. Quocirca solennis Apostolicæ
 Sedis regula est, Patrum ac Theologorum
 consensu firmata, omnia, quæ in Conciliis
 etiam generalibus geruntur, exceptis fidei
 caussis, retractari posse. Quod diserte con-
 firmat D. Augustinus (a) *Plenaria Concilia*
sæpe priora posterioribus emendantur; cum ali-
quo experimento rerum aperitur, quod clausum
erat, & cognoscitur quod latebat. Quod
 sane non de dogmatis, sed de factis non
 nisi verificari potest. Et quamvis Ro-
 mani Pontifices & Concilia Oecumenica in-
 fallibilitatis privilegio non gaudeant, ubi de
 factis dogmaticis, de quibus nihil Sacris in

Literis, nihil in divinis Traditionibus revealatum est, judicium ferunt; attamen ad disciplinæ Ecclesiasticæ leges spectat, morem talibus judiciis gerere utpote moraliter evidenteribus, & ut talibus ab Ecclesia rite judicatis. „ Hujusmodi factis „ (loquor Cl. Murratorium (b) a Deo quidem non revelatis, „ sed tamen cum dogmate connexis, si evidentiam præ se ferant, demens sit, & non „ nunquam reputetur hæreticus, qui credere, & obtemperare nolit: sin ambigua „ & dubia apparent; adhuc præstat Ecclesiæ „ sententiam ferenti, utpote judici divinitus ad nos regendos constituto, quam „ infirmo nostro ingenio, piam adjungere „ fideim, ne ob timorem incerti & minime „ periculosi erroris in crimen certum incurramus: quale profecto est in tanto dis- „ crimine aut corrumpendæ doctrinæ, aut „ scindendæ unitatis, obedientiam præpositis nostris, rationem pro nobis Deo redituriis, pervicaciter denegare.

(a) *L. 2. de Bap. c. 3.* (b) *de ingen. mod. L. 1. c. 20.*

* Sic sane definitur Cardinales hacce postrema
 ætate doctissimi , atque Pontificiæ auctoritatis
 assertores acerrimi ; Baronius in *Annalibus ad*
An. 681. Bellarminus l. 4. de Rom. Pon. c. 2. Pallavi-
cinus l. 7. Hist. concil. Trid. c. 14. Turrecremata
l. 2. de Eccle. c. 95. Jacobatius, Laurea, Norisius :
 aliique omnium nationum & ordinum Theologi
 Juriumque periti , qui etiam , quod notan-
 dum magis , nulla meliori vita R. R. Pontificum ,
 Conciliorumque , in fiduci dogmatibus judicandis
 indeficientiam propugnarunt ; quam concessa il-
 lorum in factis dogmaticis dirimendis , aberrati-
 one. Immo Archiepiscopus Cameracensis Fene-
 lonius , dans la lettre sur l' infallibilité de l' Eg-
 lise touchant les textes dogmatiques , edit : Paris
 1728. p. 75. hoc habet : A Dieu ne plaise , que j'
 accuse d' être hérétiques ceux , qui n' admettent
 point cette infallibilité : on ne trouvera aucun en-
 droit de mes écrits , où je l' ai fait. On en trou-
 vera plusieurs , où j' ai dit positivement le contraire.
 Jansenii factum ad fidem non pertinere probat
 etiam celebris Lamindus Pritanius , seu Ludov.
 Muratorius de ingen. moder L. 1. c. 20. Verbo :
 Viri omnium ordinum eruditæ , servatis religiosæ
 modestiæ legibus , posthabito Ecclesiæ judicio de
 facto doctrinali Origenis , Theodori Mopsuesteni
 Theodoreti , Ibæ Edesseni , Honorii R. Pontificis ,
 Maxentii Archimandritæ , Joachimi Abbatis , Got-
 teschalchi , aliorumve , apologias in illorum grati-

am adornarunt ; quibus illorum scripta , afflōrum illis errorum pura & illibata demonstrarunt ; quod profecto non fecissent , si in factis doctrinalibus dijudicandis Ecclesiam infallibilem suspe- xissent.

§. XXXI.

Judicium
Ecclesiæ
de Beati-
tate homi-
nis posse
deficere,
vel iphi
Summi
Pontifices
verbis
haud ob-
scuris in-
dicarunt.

Ad hæc ipsa protestatio Pontificum quam Canonizationis judicio præmittere solent , modeste innuit in hoc negotio errandi pos- sibilitatem. Est autem hujus tenoris : *An-
tequam ad pronuntiationem veniamus , prote-
stamur publice apud vos omnes præsentes , quod
per hunc actum Canonizationis non intenda-
mus aliquid facere , quod sit contra fidem , aut
Ecclesiam Catholicā , seu bonorem Dei. (a)*
Insuper Sixtus IV. dum catalogo Sanctorum adscripsit Beatum Bonaventuram , in Bulla sequentia verba facit : *confidentes , quod in
hac Canonizatione non permittat nos Deus
errare. Laudatum Pontificem in judicio
Canonizationis inerrantiae donum non su-
spexisse , ipse verborum contextus dubitare
haud finit.* *

* Invanum laborant Adversarii, dum Sixti V. P. M. orationem in Consistorio pro S. Didaci Canonizatione habitam, pro confirmando sua sententia adferunt; qua oratione, & Sacris literis, & rationibus ex intima Theologia depromtis, omnique argumentorum genere R. Pontificem verum successorem B. Petri Apostolorum Principis, pro quo oravit Christus, ne ejus fides desiceret, eundemque verum Caput Ecclesiae, quae est firmamentum, & columna veritatis, quæque a Spiritu S. regitur, ac gubernatur, in Sanctorum Canonizatione errare & falli non posse; idque non modo pie, sed necessario & certissima fide credendum affirmavit omnibus, summis rationibus divinitus in medium allatis. Apud Benedict. XIV. de serv. Dei Beatific. l. I. c. 43. Evidem sententiam hanc a Pontifice, tanquam privato Doctore produisse, ipsi Adversarii non reluctantes confitentur.

§. XXXII.

His jam consentaneo: Si Sanctitatem consummatam hominis demortui non nisi miracula indicant. (§. XIV.) si prodigia a vi-

An sit de
fide Cano-
nizatio
Sancto-
rum,

ris illustribus patrata signum Sanctimonie indubitatum ac infallibile non sunt (§. XV.), si denique judicium Canonizationis sive Pontificis sive Ecclesiæ prorsus inconcūsum non

est



est. (§. XX.) continuo sequitur, Canonizatio-
nem Sanctorum ad fidem supernaturalem
haud spectare. *) Enim vero : fides supernatu-
ralis, quia veritati Dei innititur , non pot-
est non esse firmissima & certissima. Id pa-
lam ostendit Doctor gentium (a) inquiens:
*Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui
benefacit et attentes tanquam lucernæ lucen-
ti in caliginoso loco.* Id est: certius credi-
mus gloriam Christi , quia hæc Prophetis ma-
nifestata est, quam quia ipsam propriis oculis
clare perspeximus. Et Joannes : (b) *Si testi-
monium hominum accipimus, testimonium Dei
majus est.*

(a) 2, Petri I. (b) 1. c. 5.

*) Longius haud dubie heic progressi sunt Theolo-
gorum non nulli , qui dum Pontificem privilegio
inerrantiae in Canonizationis judicio præditum
esse magna animi contentione docuerunt; insuper
fide divina credendum esse contendebant, ho-
minem ab Ecclesia Sanctorum Canoni rite adscri-
ptum atque promulgatum , revera Sanctum esse.
„ Videant ipsi “ inquit Cl. Muratorius, *de ingen.
moder. L. I. c. 17. „ an non inde sequatur, no-
„ vas revelationes, nova de factis dogmata in Ec-*
„ cle.

„ clesiam induci, quod abhorrere a Catholica do-
 „ strina & ipsi non negant. "Sunt tamen inter eos
 ipsos, qui et si doceant Ecclesiam in Canonizatione
 Sanctorum ἀποκάλεσια, seu ut schola loquitur,
 infallibilitate & indeficientia gaudere, tamen ne-
 gant credi assensu supernaturali debere, homi-
 nem canonizatum re ipsa esse in celo enim San-
 ctis regnante. Inter eos, qui negant hoc de-
 fide esse, a Benedicto XIV. recensentur Ludovicus
 a Paramo de origine & progressu Sanctae inquisitio-
 nis l. 3. q. 5. Franciscus Suarezius Tra. de fide
 Disput. 5. Sect. 8. n. 8. Gabriel Vasquesius. 2. 2.
 Tom. 2. Disp. 165. c. 9. n. 94. Dominicus a
 S. S. Trinitate Tract. de S. Pontifice c. 18. conc. 6.
 aliique autores gravissimi.

§. XXXIII.

Ne quid autem desit eorum, ex qui-
 bus plurimum luminis huic controversiae
 advenire potest; ea loco primo expendenda
 esse, atque explicanda censui, quæ intimius
 ad fidem attinent, quæve ceterorum, quæ
 dicenda veniunt, ceu basis & fundamentum
 considerantur. Ne igitur quis universi te-
 mere, & nullo posito discrimine assentiens,
 & valde cuncta asseverans, earum etiam re-

Quæ con-
 ditiones
 requiran-
 tur, ut ali-
 quid fide-
 divina cre-
 dendum
 statuatur.

rum auctoritatem, quæ sunt certiores & illustriores, amittat, illud tanquam fundamentum supponat est necesse, omnia, quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertinent, Apostolis fuisse revelata, ab iis autem, dum in vivis crant, aliis Ecclesiæ Rectoribus commendata sive scripto in Sacris Literis. sive ore per Traditionem, & nihil ex eo tempore Ecclesiæ de novo revelari. Doctrina enim a Christo tradita perfecta fuit & consummata, nulliusque additamenti, aut imminutionis indigat; quare sine impietate ad illam aliquid adjicere non possumus, ne veluti mancam, & imperfectam temere & incaute accusemus. Nam fundamenta alia nemo potest ponere præter ea, quæ posita sunt, *Apostolorum* & *Prophetarum*, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (a) qui omnia quæ audivit a Patre nota fecit nobis. Itaque nec Concilia, nec Sedis Apostolicæ Pontifex, nec Sancti Scripturarum interpres novas fidelibus revelationes edunt, sed quas ab Apostolis accepit Ecclesia, aut posteris integras & illibatas tradunt, aut illas exprimunt, & interpretantur, aut certe consequentia & connexa

col-

colligunt, adversa & pugnantia manifestant.
 Qua in re celebris est sententia Vincentii
 Lirinensis, ita de Ecclesia scribentis: *Non*
nova fidei dogmata statuit, sed vetera eruit.
 Unde fluit, binas plane conditiones exigi, ut
 Ecclesia Dei proponere dogmata sine erro-
 ris periculo possit. Sine ipsis neque a nobis
 efflagitare Ecclesia poterit, neque nos ad-
 hibere supernaturalem fidem debebimus.
 Altera est: nihil ab Ecclesia statui certissime
 posse fide divina credendum, nisi quod Divini
 Ecclesiae Institutoris Christi verbis, sive scriptis
 tis, sive non scriptis nitatur, & inde per infalli-
 bilem interpretationem & argumentationem
 deducere liceat: rationes ergo ex humanis
 conjecturis & congruentiis petitæ, heic pro-
 cul arceri debent, quod multi præpostere
 fecerunt, hodieque faciunt. Altera est: ut
 quæ ita a Christo revelata & tradita dicun-
 tur, re ipsa revelata aut Apostolis tradita pa-
 lam fuisse constet. Quod liquere certo
 non potest, nisi eorum legitima traditio in
 Ecclesia Dei habeatur. *) Enim vero:
 tum interpretatio recta, & infallibilis argu-
 mentatio ab Ecclesia instituitur, nullusque



error subrepere potest, dum divinæ revelationis fax ipsi prælucet: quæ certe explicatio non nova dogmata invehit, sed vetera majori luce donat, aut a perversis & novitiis interpretationibus vindicat. Hæ sunt binæ fidei supernaturalis qualitates necessariæ, quibus tanquam essentiæ suæ partibus constat.

(a) Cor. 3. II. ad Eph. 2. 20.


*) Liquet id ex Vincentio Lirinensi Viro gravissimo: *Catholicorum hoc proprium*, inquit ille, *deposita Sanctorum Patrum & commissa servare, damnareque profanas novitates.* Ita enim in Concilio Ephesino omnium Parvum una fuit vox, ut quod erat antiquitus traditum, teneretur, quod adiumentum nuper, exploderetur. Superius vero Apostoli vocem interpretans, dixerat: *Depositum, id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non privatae usurpationis, sed traditionis publicæ; rem ad te perducitam, non a te perlamat, in qua non auctor esse debes, sed custos, non institutor, sed seclator, non ducens, sed sequens.* Ex quo consequitur, Ecclesiæ Pastores non ex arbitratu, sed ex traditione Majorum de Scripturarum sensu judicare debere,

bere, atque adeo controversias in dogmate esse
dirimendas secundum ea, quæ jam a Pontificibus
Maximis & Conciliis & Sanctis Patribus hucusque
accepimus.

§. XXXIV.

Quapropter si nihil fide divina cre-
dendum, quod non aut per legitimam &
infallibilem argumentationem e divinis
scripturis deduci, aut ex probatissima &
constanti & antiqua traditione Patrum com-
probari possit; (§. præc.) profecto homi-
nem ab Ecclesia divisorum canoni adscrip-
tum, esse revera Sanctum, ad fidem non at-
tinebit. Evidem Sanctimonia consummata
hominis cum fama integritatis demortui, non
ex legitima & infallibili argumentatione e
divinis Scripturis, aut traditione deducitur,
sed aminiculo extraneo miraculorum (§.
XIV.) ex testimonio humano, quod, ut mi-
tissime loquar, tam falsum, quam verum
complecti potest, innescit. Quando enim
in Scripturis Sacris, sive per traditionem
revelatum est, hominem Sacra Apotheosi ab
Ecclesia donatum, in sincera morum pro-

Canóniza-
tio Sancto-
rum assen-
sum fidei
supernatu-
ralis hand
exigit.



bitate, in perenni, & non interrupta in bonis operibus ad finem usque vita continuatione perficiisse, & beatitate cælesti potiri? quei dicatur Christus illud revelasse, Apostoli tradidisse, quod nondum acciderat, & occultum penitus Ecclesiae fuit ad eum usque diem, quo in rerum universitate candidatus Sacrae Apotheoseos extitit?

§. XXXV.

Idem con-
firmatur.

Porro Doctor Angelicus (*a*) & reliqua Theologorum cohors affirmat: articuli fidei temporis successione, quod est ad substantiam, crescere non possunt, sed solum quod est ad explicationem. Nimurum quod olim Christus Ecclesiaz Fundator revelavit, id unam Christianam fidem constituit; Inde quidpiam demere vel addere nefas sumnum est. Explicare dumtaxat sine erroris periculo, quæ Deus revelavit, ad Ecclesiam pertinet. Quin igitur quod iste vel ille vere Sanctus sit, & visione intuitiva perfruatur, nec habeatur expressum in Verbo Dei, aut in fide Patrum, vel præcedentium articulorum, neque inde per infallibili-

lem

lem argumentationem, cui fax divinæ revelationis præluceat (§. XXXIII.) deduci possit, si esset assensu supernaturali credendum, foret novus fidei articulus, nova revelatio, & consequenter fidei articuli, quod est ad substantiam, crevissent: quod abhorere a catholica doctrina & ipsi non negant. Bene siquidem perspecta quilibet catholico- rum habet intoleranda incommoda, quæ se- querentur, si quidquam ad vetus doctrinæ depositum adjungi aliquando posse creda- tur, quod non revelavit Deus.

(a) 2.2. Q. 1. a. 7. Dicendum, quod quantum ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia quæcun- que posteriores crediderunt, continebantur in fide præce- dentium Patrum, licet implicite: sed quantum ad ex- plicationem, crevit numerus articulorum, quia quædama explicite cognita sunt a posterioribus, quæ a prioribus non cognoscebantur explicite.

§. XXXVI.

Sed nihil est tam validis demonstra- Argumén-
tum argumentis, quod si adsit ingenium, sariorū.
impugnari non possit: Nonne, afferunt acer-



rimi impugnatores, in Sacris Paginis dilucide revelatae sunt virtutes eorum, qui salvandi sint, & cum Christo regnaturi? (8) Id si verum est, est autem verissimum, consequitur: quod revelati sint omnes, qui salvandi sunt; ii scilicet, qui his prærogativis ornati fuerint usque ad vitæ exitum. Jam Ecclesia assistente sibi Divino Spiritu illuminata cognoscit ac declarat infallibiliter, hunc Dei servum esse unum ex his implicite revelatis, his conditionibus præditum: quæ profecto Ecclesiæ declaratio satis certo ostendit, conclusionem singularem in universali revelata contineri, quæ assensu fidei divinæ credi possit. Non cudit igitur Ecclesia, dum Sanctum judicio Canonizationis honorandum universæ Ecclesiæ proponit, nova fidei dogmata, novas revelationes non edit. Rursus hæc propositio: *bis homo canonii Sanctorum rite insertus, revera Sanctus est*, deduci potest ex alia propositione revelata, altera ut minimum morali summa certitudine certa. Sic enim fas est argumentari: *omnis, qui in gratia decesserit, Sanctus est*; at qui *bis homo in canonem San-*

orum adscriptus, in gratia decessit; igitur revera Sanctus est. Porro in hac argumentatione prima propositio revelata est in divinis Scripturis (*b*) qui perseveraverit usque in finem salvus erit; altera vero certa est certitudine morali summa: Igitur explicite credi fide divina potest, quod hic vel ille homo canonii Sanctorum rite insertus revera salvus & Sanctus sit.

(*a*) Matth. 5. v. 19. Item c. 7. & c. 12. Et rursus: Matth. 19. v. 17. & 29. Et Cap. 24. v. 46. Tum Joan. 12. v. 25. Et iterum Joan. 17. quin & Psal. 14. David sibi metipsi sic interroganti: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c. -- ex Spiritu divini afflato haec respondet: qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam &c. (*b*) Matth. 24. v. 10.

§. XXXVII.

Verum tota quidem quæ viget conten- Solvitar
tio, ex priori de inerrantia quæstione pen- primum.
det, & verbis magis quam re diversa eodem cum illa recidit. Si namque ab erroris periculo in Canonizationis judicio eximius Pontifex & Ecclesia non sit (§. XX,



XXI.) consequitur, neque Pontificem, neque Ecclesiam posse certo & inconcusso prorsus judicio declarare, hunc Servum Dei esse unum ex his implicite revelatis, hisque conditionibus praeditum; consequenter declaratio Ecclesiæ certissimo iudicio ostendere haud potest, conclusionem illam singularem in universalis revelata contineri. Profecto, si divinitus pro certissimo credere stringeremur, hunc illumine Sanctum Virum canoni Beatorum adscriptum revera in Cœlis regnare, hancque enunciationem particularem, in illo universalis effato revelato implicite contineri, etiam per eandem fidem credere deberemus, Pontificem aut Ecclesiam in iudicio Canonizationis haud posse deficere; Quum veritas enunciationis illius necessario ab inerrantia sive Pontificis sive Ecclesiæ pendeat. Verum huic adversariorum doctrinæ pollicem premere pensatis fundamentis (§. XX. & sequ.) nec possumus, nec debemus.

§. XXXVIII.

Etsi proinde hac in controversia nihil jam heic commentari necesse est, cum, quid de ea statuendum, satis jam per ea, quæ de judicio Canonizationis sive Pontificis si-
ve Ecclesiæ protulimus, determinatum esse intelligatur: tamen illa duo adversariorum argumenta, in quibus maximam vim po-
nunt, alia elucubratione enodare expedit. Evidem ut Ecclesia Dei statuere sine erro-
ris periculo possit, aliquid contineri in ve-
ritatibus a Deo *immediate* revelatis, atque
dici possit *mediate* & *implicite* (ut scholæ
amant dicere) revelatum, necessum est, ut
illustratione divinæ traditionis res innotescat.
(§. XXXIII.) Nam Pastores Ecclesiæ, non
ex arbitratu cerebroque suo, neque divi-
nando, sed ex traditione Majorum de Scri-
pturarum sensu judicare debent, & Christi
doctrinam exponere. *) „Spiritus enim S.
„secundum promissa Christi“ (loquor Cl.
Muratorium) (a) „semper adfuit, atque
„adfuturus est iudiciis Ecclesiæ, non ut
„novæ revelationes fiant, aut nova revé-
„lentur per ipsius Ecclesiæ vocem dogma-

„ ta, sed dum Sacrae literae & antiqua traditio diligenter consuluntur, tunc interpretatio recta, rectave argumentatio ab Ecclesia instituantur, nullusque error in easdem subrepatur. Porro quando per traditionem legitimam vulgatum est, quod hic vel ille canonis Sanctorum adscriptus heroicis illis virtutibus inclaruerit, donum perseverantiae finalis, de quo nullus citra revelationem certus esse potest, acceperit? quare Ecclesia assistente sibi divino Spiritu, qui non nisi certissime in rebus ad Ecclesiam necessario pertinentibus, adest, (§. XXIV.) infallibiliter cognoscere haud potest, hunc Dei servum esse unum ex his implicite revelatis, atque particularem illam enunciationem in effato universalis revelatio contineri: **) Utile, repeto Cl. Muratorium, est, non necessarium ista scire.

(a) L. I. c. 13. de ingen. mod.

**) Celebre est hanc in rem Stephani Romani Pontificis exemplum. Fervebat Africanam inter ceterasque orbis Ecclesias controversia de haereticorum baptismo. Cyprianus Vir alioqui San-

ctis.

etissimus pro iterando Sacramento pugnabat,
 ejusque novæ opinioni, ut cum Vincentio Liri-
 nensi c. 6. loquar, “ tanta vis ingenii adfuit,
 „ tanta eloquentiæ flumina , tantus assertorum
 „ numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinæ
 „ legis oracula, sed plâne novo ac malo more in-
 „ tellecta, ut illa conspiratio nullo modo destrui
 „ posse videretur. ” Attamen traditionem a se
 stantem contra Stephanus præferebat; atque his
 armis fretus , tota demum consentiente & plau-
 dente Ecclesia, caussam obtinuit.

**) Aliter cogitandum est de hac enunciatione
 particulari, *Salomon peccavit in Adam*, quæ in
 isto universali effato, toti Ecclesiæ immediate
 revelato, *omnis homo in Adam peccavit*, formaliter
 implicite, ut Scholæ amant dicere, conti-
 netur. Ex hac enim necessaria & evidenti con-
 secutione derivatur, utpote cum illo intime
 connexa; insuper traditio semper in Ecclesia
 Dei vigebat, quæ non solum existentes, sed in
 posterum extituros singulos posteros Adæ, in
 eo peccavisse firmissime ereditidit; quare particu-
 laris illæ enunciatio ad fidem omissino pertinet,
 neque tolli potest, quin fides ipsa tollatur. Igi-
 tur qui hanc evidenter enunciationem negare
 audeat, immediate fidei dogmata lœdit.

§. XXXIX.

Refellitur Alterius vero argumenti tanta vis non argumen- est, ut enunciatio hæc: *bis homo canonii San- tum secun- dum.ctorum rite insertus, revera Sanctus est,* quamvis ex una præmissa revelata, altera morali summa certitudine certa deduci pos- sit, fide divina credi sive possit, sive de- beat. Evidem ex hoc unum consequitur, quod certitudo moralis, ex testimonio ca- nonizationis profluens, ita me certum red- dat de Sanctitate hominis, ut sine gravi culpa atque ignominia sancienti Ecclesiæ hoc in negotio debitam illi subtrahere re- verentiam non possim; quum ad disciplinæ Ecclesiasticæ leges spectet morem talibus judiciis gerere, utpote moraliter evidenti- bus, & ut talibus ab Ecclesia rite judicatis; de quo fusius tractandum erit. Verum quod laudata enunciatio: *bis homo canonii Sanctorum rite insertus, revera sanctus est;* quæ ex una præmissa revelata, altera mo- raliter summa certitudine certa deducitur, ad fidem supernaturalem attineat, id me- rito negare possumus. Enim vero cum præmissarum altera, atqui *bis homo in cano-*

nem

nem Sanctorum adscriptus in gratia decessit, quæ ostendit, conclusionem, hic homo sanctus est; sub altera præmissa revelata, omnis qui in gratia decesserit, Sanctus est, contineri, moraliter duntaxat certa est, poterit ei subesse falso. Esto enim propter certitudinem moralem dictæ conclusioni falso subesse prudenter nemo suspicari possit, subesse tamen absolute potest. Certitudo enim moralis esto summa, quamvis secundum leges humanæ prudentiæ fallere nequeat, ut tamen absolute fallat, non repugnat. Atque adeo conclusio illa poterit non contineri sub revelata; consequenter credi non poterit fide divina, quæ nullo absolute in casu fallere potest. *) Et profecto si ideo ad fidem spectat istud effatum, quia ex præmissa una revelata, altera morali summa certitudine certa deduci potest, vel quia fuit revelatum in universalis effato: in immensum abibit eorum numerus, quæ in posterum pertinere ad fidem credenda erunt, ut observat acutissime eruditissimus Muratorius (a) „ cur enim non re- „ velatum quoque dicendum erit singulas


„ ho-

„ hostias populorum adorationi propositas
 „ continere verum Christi corpus? cur non
 „ & huic vel illi Regi legitime electo pa-
 „ rendum a subjectis populis? & innumeris
 „ alia. Certe hujusmodi effata aliquo uni-
 „ versali effato, quod Deus revelavit, &
 „ facto moraliter evidenti **) innituntur,
 „ sicuti nullo negotio quisque intelligat.
 „ Certe & ex his multa credenda sunt po-
 „ pulis, ne debita officia negent, & ne gra-
 „ viter peccent. Attamen quis haec & alia
 „ ejusmodi immediate per fidem creden-
 „ da pronuntiet, quamvis universalis effato,
 „ quo innituntur, sit immediate suprana-
 „ turalis assensus adjungendus? haec igitur
 „ quum necessario consequantur & pende-
 „ ant a facto, cuius veritatem a cœlo ne-
 „ quaquam edocemur, ne ipsa quidem tam
 „ certa reputanda videntur, quam certa
 „ nobis futura sunt evangelica dogmata.
 „ ***)

(a) *De ingen. mod. L. I. c. 18.*

**) Theophilus Raynaudus in *Heteroclitis Spiritus-*
libus Sect. 3. punct. I. pag. 249. Tom. 15. Edit.

Lugdunens. postquam docuisset, non esse fide di-
 vina certum, quod, qui canonismo honestatus
 est, sit cœlo illatus, & Sanctus: sic porro ait:
 „ Divinæ Fidei certitudo non potest cadere
 „ nisi in propositionem aut in verbo tradito
 „ contentam, vel certe inde deduciam per cer-
 „ tam & evidenter consequutionem, cuiusmo-
 „ di non est propositio de qua agimus, v. g.
 „ quod S. Gregorius sit cœlo illatus, & Sanctis
 „ adnumerandas: Neque enim habetur in Scrip-
 „ ptura vel in traditione, S. Gregorium esse San-
 „ ctum, & cœlo illatum, neque potest deduci
 „ ex iis, quæ in Scriptura vel traditione habentur,
 „ nisi adhibito Syllogismo, cuius Major propo-
 „ sitio ad fidem pertinebit, non autem Minor,
 „ quæ ex solis humanis fallibilibusque testimo-
 „ niis confirmabitur in hunc modum: Qui pie
 „ vixit, ac pie mortuus est, Sanctus est, & post
 „ detersum ex vita præsentis maculis contra-
 „ sum reatum, est beatus, ac cœlo infertur.
 „ Hæc major est certa ex fide. Atqui S. Gre-
 „ gorius pie vixit, & pie mortuus est. Hæc
 „ minor pendet ab humanis testimoniis fallibi-
 „ libus, ac proinde non est certa ex fide;
 „ quamvis post interpositam Ecclesiæ declara-
 „ tionem nemo Catholicorum revocaturus sit in
 „ dubium conclusionis illius veritatem.



**) Dicendum tamen fuisse moraliter certo; nam factum moraliter evidens censetur, cuius cognitio non dependet a circumstantiis facti humano intellectui imperviis, uti in casu quod sacerdos sit legitime consecratus, aut intentionem habeat consecrandi &c.


***) Peccare heic persæpe in eo solent Adversarii, quod motivum nostri assensus ab ejus applicatione non distinguant; uti cum ajunt: satis est ad propositionem explicitè revelatam credendam, si moraliter aut physice certus sim eam esse revelatam, etsi metaphysica certitudo de existentia revelationis desideretur. Sic credimus Jesu Christi divinitatem, quia id ab Ecclesia Sanctum fuit a Patribus Concilii Nicæni; at vero celebratum fuisse hoc Concilium, atque hoc dogma definitum, non ex revelatione, sed ex fide historica, quæ certitudinem moralem fundat, nobis constat. Eadem igitur de causa assensus fidei divinæ præstari poterit, quod hic vel ille Sanctus sit, cum moraliter certitudine summa constet illam enunciationem in explicitè revelata contineri. At enim: motivum, cur veram Jesu Christi divinitatem credamus, non est certitudo historica de Ecclesiæ definitione, hæc enim non nisi applicatio motivi est, sed hujus dogmatis revelatio facta Ecclesiæ, & ab Ecclesia suis filiis proposita, quæ in hoc falli non potest, cum in

rebus ad doctrinam Christi necessariis divinum spiritum infallibiliter assistentem habeat: quam tamen assistentiam in judicio de Sanctitate hominis pie defundi non habet, cum notitia de beatitate illius cœlesti hominibus, fidei & Ecclesie necessaria non sit, esto utilis jure praedictetur, *Vide sis §. XXIV.*

§. XL.

Si porro mentem hac in materia Doctoris Angelici exaudiamus, magnum robur sententiæ nostræ accedit. Siquidem S. Praeceptor (*a*) postquam docuisset: non posse Summum Pontificem errare in his, quæ attinent ad fidem, posse autem errare in aliis sententiis, quæ ad peculiaria facta pertinent; de Sanctorum Canonizatione sic tandem concludit: *Canonizatio Sanctorum medium est inter hæc duo (nempe inter ea quæ ad fidem, & quæ ad facta quædam particularia pertinent) quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his judicium Ecclesiae errare possit.* Rursus (*b*) docet si-

dem



dem non assentiri nisi rebus a Deo revelatis. Demum alibi (*c*) ait nostram fidem revelationi Apostolis & Prophetis factæ inniti, qui canonicos libros scripserunt, minime vero revelationi, si quæ aliis Doctoribus facta sit. Jam his consentaneæ: si juxta doctrinam Angelici Præceptoris Canonizatio est quid medium inter res fidei, & res pertinentes ad causas particulares; *) Si tantum pie creditur Pontificem esse in judicio canonizationis infallibilem (§. XXVII.) Si denique pro assensu fidei divinæ non sufficit quæcunque revelatio, sed necessaria est revelatio Apostolis & Prophetis facta; profecto sententia nostra S. Thomæ doctrinæ consentanea est.

- (*a*) *Quodl. 9. Q. 7. a. 16.* (*b*) *2. 2. Q. 1. a. I.*
 (*c*) *I. p. Q. 1. a. 8.*

*) D. Thomæ sententia explicanda est, inquit Adversarii: S. Doctor ait Canonizationem Sanctorum medium esse inter res fidei, & facta particularia *spectata materia*, quæ neque est puri juris, neque meri facti, sed facti cum jure conexi; non vero esse medium spectato *assensu fidei*. Sed quam nihil præsidii in hoc haheant

Ad.

Adversarii vel ex ipso Doctore Angelico liquet : equidem si ea explicatio suscipitur, continuo sequitur, quod eadem plane de Canonizatione, atque de rebus fidei foret ratio, nec duntaxat *pie*, sed omnino *necessario* credenda esset, contra ac sentiat S. Præceptor. Veniam dent Adversarii, quod eadem verba Doctoris Angelici toties ipsis occinamus. Non possumus non eadem repetere, dum illi sua, quæ nobis non satis firma videntur, argumenta recantent. Solidæ aliquid responsionis expectamus, si tamen expectari heic potest ; verba dari nobis non sinimus.

§. XLI.

Neque ex quo Doctor Angelicus citato in textu affirmat cultum, quem Sanctis exhibemus, quandam esse *professionem fidei* effugium. Præcludi-
tur Adver-
sarium
sanctorum
effugium. qua Sanctorum gloriam credimus, sequitur cultum Sancti alicujus supponere fidem de eo, quod is revera Sanctus sit. Enim vero dum quis adorat hostiam publico cultui exhibitam, vel reliquias alicujus Sancti veneratur, protestatur fidem, qua Ecclesia credit, Christum in hostia vere consecrata contineri, & qua credit cultu dulico Sanctos honorandos esse ; nemo tamen inde colligat,




gat, quod fide divina supernaturali credat, in hac numero hostia verum Christi corpus contineri, hanc numero hostiam esse rite, & a legitimo Sacerdote consecratam, reliquias has esse vere illius Sancti. Quapropter S. Doctor id unum vult, quod Ecclesia cultu Sanctorum honorans hominem albo Divorum adscriptum, profiteatur eum esse in gloria & beatitate cœlesti; quæ tamen professio fidem supernaturalem haud ingenerat, quoniam objectum fidei supernaturalis, quod in canonicis Scripturis, ac antiquissima ac germana traditione fundatum habere debet, (§. præc. & XXXIII.) deficit.

§. XLII.

Nota hæ-
refoes ei-
nuri ne-
quit.

Quæ sententia eo magis confirmatur, quod nulla hactenus hac in re prodierit Ecclesiæ definitio ut hæreticos damnans, qui negarent, Sanctos solenni ritu canonizatos in Cœlis regnare. Et quanquam in Bullis Canonizationis non nunquam anathematis pœnam impositam illis fuisse sciamus, qui declarationi Sanctitatis, seu Canonizationi ali-

alicujus fuerint refragati, (a) hæc tamen pœna gravissima non in solos hæreticos, sed etiam in alios, qui legibus Ecclesiasticis gravioribus, ut ista est, obedire detrectant, atque pertinaciter resistunt, ferri potest, ut plurimis exemplis est manifestum. Unum adduco: sanctæ memorię Clemens XI. in Bulla *Unigenitus*, per quam centum, & unam propositiones condemnavit, etsi non omnes tanquam hæreticas, sed aliquas tamquam de hæresi suspectas, schismati faventes, erroneas, & hæresi proximas, anathematis tamen pœna omnes jugulavit sequentibus verbis: *Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, ne dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem Nostra Constitutione continetur, ita ut quicunque illas, vel illarum aliquam, conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim docuerit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis Censuris, aliisque contra similia perpetrantes a jure statutis pœnis ipso facto absque alia declaratione subjaceat.* Et sane concideret tota di-




sciplinæ ratio, totumque regimen Ecclesiasticum, si quibuscumque Ecclesiæ præceptis negare obedientiam liceret, iisque tantummodo parendum foret, quæ a Christi unius ore descendisse constaret. *)

(a) Veluti legitur in Bulla Canonizationis Beati Udalrici expedita a Joanne XV. in Concilio Lateranensi. *Si quis interea, quod non credimus, temerario ausu contra ea, quæ ab hac Nostra auctoritate pie, ac firmiter per hoc privilegium constituta sunt, contrarie tentaverit, vel hæc, quæ a Nobis ad laudem Dei pro reverentia jam dicti Episcopi statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi; sciat, se auctoritate Beati Petri Principis Apostolorum, cuius vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum.*

*) Pontifices Maximi, inquit adversarii, Virum aliquem Dei in Catalogum cœlitum referentes, profitentur, se definire, hunc hominem Dei esse in Cœlis, Sanctum, & receptum in gloria; idque decernunt fideliter, & firmiter ab omnibus fidelibus esse tenendum. Sic Leo X. quum in Divorum numerum Franciscum de Paula adscriberet, in Bulla Canonizationis, inquit: *decernimus, & definimus esse receptum in gloria. Bonifacius vero IX. decernimus, declaramus, definimus, Sanctam Brigittam Sanctam esse, & ab universa Eccl.*

clesia venerari debere. Igitur quia Pontifices Maximi definiunt, hunc Dei Servum esse revera Sanctum, fide divina credi debet, quod hic vel ille Servus Dei rite canonizatus, Sanctus sit. Unde in Concilio Constantiensi, *Seff. 8.* damnata est propositio 44. Wicleffi dicentis : *Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi panituerint de hoc, quod habuerant possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones, & sic a D. Papa, usque ad infimum religiosum omnes sunt haeretici.* Hæc tamen omnia, si paulo penitus perpendere liceat, nihil prorsus evincere, compertissimum erit. Evidem definitio Pontificum non semper stat pro definitione, quæ sit de fide, sed aliquando pro sententia ultimo definitiva, cui morem gerere fideles obligantur, etiamsi materia non sit revelata ac de fide. Talis autem est definitio Papæ in Canonizationis judicio, cui parendum esse corde & ore profitemur, esto ad fidem supernaturalem haud spectet. Nihil etiam praesidii habent adversarii in damnatione propositionis Wicleffi, quia suppositio, quæ ab ipsis fit, exerrat. Enim vero dicta propositio, non quia præcise affirmat, Augustinum, Benedictum &c. esse damnatos, anathemate confixa est ut haeretica, sed quia damnatos asserit, quod Religionem intraverint, quod possessiones habuerint, & ob hanc causam Papam, & omnes Reli-



giosos esse hereticos; quam caussariam esse hereticam nemo non videt.

§. XLIII.

Ad proxim
invocatio
nis hujus
vel illius
Sancti ne
cessaria
non est
certitudo
fidei.

Sed qui ei non liceat, inquiunt queri-
tantes adversarii, Sanctorum cultum in Eccle-
sia Dei flocci facere, contemnere, repudia-
re, eorum Sanctitatem revocare in dubium?
quei evitari poterunt sexcenta alia incom-
moda, si credibile fide divina non est, ho-
minem ab Ecclesia Divorum albo adscri-
ptum, esse revera Sanctum? Si Ecclesia in
judicio de beatitate hominis demortui in-
deficiens omnino non est? Si id facere im-
pune & jure possumus, quid ipsa religio
a temerariis ingenii jam sibi non timeat?
Verum nihil fortasse hinc Sanctis atque Ec-
clesiae timere debent ingenia pusilla. Quam-
quam enim ad fidem supernaturalem S.
Apotheosis referenda non sit, tamen Eccle-
sie judicium de Sanctitate hominis creden-
dum est verum ac certum, & stare nihil
ominus potest cultus Divorum, & nihil in
legitime Canonizatos audere licet.


§. XLIV.

§. XLIV.

Egidem Ecclesiæ decernenti quem- Sed sufficit
piam cultu Divorum honorandum, repu- certitudo
gnare tunc nefas est: non quod supernatu- moralis,
ralis & infusa indeficien- privilegio gau-
deat judicium illud, sed quod naturali, ut
ita dicam inerrantia polleat, ob facti vide-
licet moralem certitudinem, adhibitamque
in faciendo examine diligentiam; cuius rei
abunde magnum argumentum est, quod
nunquam infirmata est fides ab humanis
testibus semel in hujusmodi judiciis suscep-
pta. Certitudo igitur moralis sufficiens caussa
est, ut homines Divorum catalogo inscri-
ptos veneremur, & debito honore profe-
 quamur.


§. XLV.

Profecto „, fides docet ac jubet “ in- Id quod
quit doctissimus Pritanius, (a) „, colendos adductio-
„ esse parentes ac Reges legitimos; at si ne exem-
„ mul non docet, hunc vel illum homi- plorum o-
„ nem esse certum parentem, & legitimum stenditur.
„ Regem nostrum. Attamen quia ex evi-



„ dentia *) morali cognoscimus, qui sint
„ isti parentes & Reges, hujusmodi parti-
„ culari facto applicare cogimur univer-
„ sale fidei decretum, & hunc illumve ho-
„ minem colere. Non colentes, cum in
„ terris, tum post mortem, justa poena ma-
„ nebit. Ad fidem ergo immediate per-
„ tinere non potest haec enunciatio: iste
„ vel ille mihi colendus est ut pater, ut
„ Rex; Sed num obsequium iis negare id-
„ circo liceat? Apage. Evidentia moralis
„ ita me de peculiari hoc facto certiorem
„ facit, ut sine gravi culpa atque ignominia
„ debitam illi subtrahere reverentiam non
„ possim, etiamsi revelatio divina de hujus-
„ modi facto desideretur. “ Si ergo in
his casibus sufficit certitudo moralis, eadem
etiam ad proxim invocationis hujus vel illi-
us Sancti abunde sufficiet. **) Nam per
certitudinem moralem ex testimonio Eccle-
siæ satis de beatitate Sancti alicujus consci-
entiaz nostraz certiores redduntur, ut nulla
sit excusatio peccati, si propterea obsequi
& credere nolimus Ecclesiæ sancienti. „ A-
lioqui, “ continuo Britanium „ si divi-
„ nam

„ nam revelationem ubique necessariam pu-
 „ tamus; & quum desideratur, fas est ne-
 „ gare fidem salutari doctrinæ, obedienti-
 „ am præceptis, obsequium Majoribus:
 „ jam non Ecclesia solum, sed universæ
 „ mundi res publicæ evertentur, immo
 „ nihil credere cogemur, & pejores quam
 „ Academici & sceptici erimus. (b) “ Hæc
 vero omnia haud obscure innuit Mellifluus
 Bernardus; (c) is enim tantum abest ut su-
 pernaturalem & infusam indeficientiam in
 rebus Ecclesiastica auctoritate præceptis re-
 quirat, ut etiam in rebus ambiguis & du-
 biis Præpositis nostris, rationem pro nobis
 Deo reddituris, obtemperandum esse ve-
 lit; exaudiamus verba Doctoris suavissimi:
 „ Quicquid vice Dei præcipit homo, quod
 „ non sit tamen certum displicere Deo;
 „ haud secus omnino accipiendum est, quam
 „ si præcipiat Deus; Quid enim interest,
 „ utrum per se, an per suos ministros, sive
 „ homines, sive Angelos, hominibus inno-
 „ tescat suum placitum Deus? Sed homi-
 „ nes, inquis, facile falli in Dei voluntate
 „ de rebus dubiis percipienda, & in præ-



„ cipienda fallere possunt. Sed enim quid
 „ hoc refert tua, cui conscientia non es ?
 „ præsertim cum teneas de Scripturis, quia^a
labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & le-
gem ex ore ejus requirunt : quia Angelus
Domini exercituum est. „ Requirunt, di-
 „ xerim, legem ; non quam vel authentica
 „ ulla Scriptura tradiderit, vel manifesta
 „ ratio probaverit. De hujusmodi quip-
 „ pe nec præceptor expectandus, nec pro-
 „hibitor auscultandus : sed quod ita latere
 „ aut obscurum esse cognoscitur, ut in
 „ dubium venire possit, utrumne Deus sic,
 „ an aliter forte velit, si non de labiis custo-
 „ dientibus scientiam, & ex ore Angeli Do-
 „ mini exercituum certum reddatur ; a quo
 „ denique divina potius consilia requiren-
 „ tur, quam ab illo, cui credita est dispen-
 „ satio mysteriorum Dei ? Ipsum proinde
 „ quem pro Deo habemus, tamquam De-
 „ um in his, quæ aperte non sunt contra
 „ Deum, audire debemus. “ Revera diserta
 hæc S. Bernardi sententia nostræ omnino
 peræque est adcommodata.

(a) *De ingen. mod. L. 1. c. 18.* (b) *cis. loc. ' (c)*
Lib. de Præcept. & Disp. c. 9.

*) Di-

* Dicendum erat certitudo; quia cuius cognitio dependet a circumstantiis intellectui nostro imperviis, uti an hic sit meus parens, nequit censeri moraliter evidens, licet moraliter certum esse possit.

**) Per apposite & lepide hanc in rem commentatur P. Dionysius Werlensis in suo Philanton. c. 22. §. 6. „ Nunquid honorant, venerantur,
 „ & colunt te proles tuæ, tanquam patrem, a
 „ quo sint progenitæ? colunt utique, & religio-
 „ se quidem, si Augustanam Confessionem, &
 „ Lutherum sequamur. Peccabuntne te non
 „ honorando? dices: peccabunt, quia præce-
 „ ptum Domini est, honora patrem tuum &c.
 „ Ast creduntne fide divina te esse verum eo-
 „ rundem patrem? non utique, cum id nullibi
 „ in S. Bibliis suis legerint unquam, sed cre-
 „ dant tantum matri suæ, uxori tuæ: “ *Nam*
interposita matris auctoritate, inquit S. Augustinus
de utilitate credendi contra Manich. c. 12. Tom.
6. de patre creditur; de ipsa vero matre, quan-
*doque nec matri ipse, sed obstetricibus, nutri-
 bus, famulis. Nam cui furto tolli filius potest,*
*aliusque supponi, nonne potest decepta decipe-
 re?* „ Si ergo testimonium tuæ uxor is, opi-
 „ nionemque probabilem & ad summum mora-
 „ liter tantum certam putas sufficere, ut te pro-
 „ les, quæ putantur tuæ, possint colere, ut pa-
 „ trem

„ trem suum , & peccent etiam non colendo ;
 „ cur ergo non vides , quam ridiculum sit argu-
 „ mentum eorum , qui invocationem eorum San-
 „ torum , de quorum individuali Sanctitate fidei
 „ certitudinem non habent , peccaminosam esse
 „ ostendere volant : eo scilicet quod omne ex
 fide non proveniens , sit peccatum Rom. 14. v.
 23. „ Si enim id de fide intelligas , cui for-
 „ malis illatio sit revelatio Dei indubitata , quo-
 „ modo non peccabunt omnes filii , suos , quos
 „ putant tantum , & non credunt , patres reli-
 „ giosae colentes , omnesque parentes , qui ita
 „ se permittunt coli ?

§. XLVI.


Quare te- Ea propter si quis ejusmodi judicio
 merarium est in divis Canonizationis acquiesceret nolit , stultus in-
 consecra- terdum & sanandus helleboro , interdum
 dis Eccl- etiam temerarius reputabitur. Addam
 eis abro- gare fidem etiam in eum hæresis suspicio conveniet , &
 etiam non terrenis tantummodo pœnis , sed etiam
 æternis coercendus erit , nunquam tamen
 hæreticus merito dicetur. *))

*) „ Quare a suspicione hæreſeos “ inquit Mura-
 torius , de ingen. mod. L. i. c. 17. „ Ille non
 „ absit , atque intolerandam , & pœnis dignam
 „ teme-

„ temeritatem, ac impudentiam præ se ferat,
 „ qui rite cœlitum catalogo adscriptos explo-
 „ dat, & in iis, ut ajunt, canonizandis Ecclæ-
 „ siam re ipsa, & Romanum Pontificem errasse
 „ dicat. “ Et Canus de loc. Theol. L. 5. c. 5.
 „ Qui fidem in his Ecclesiæ detrahunt, eos non
 „ hæreticos quidem, sed temerarios, impuden-
 „ tes, irreligiosos esse credamus. “

§. XLVII.

Jam ad institutum nostrum: judicium Igitur Ca-
 five Ecclesiæ sive Pontificis de Sanctitate &
 beatitate hominis pie defuncti dono iner-
 rantiæ non pollet (§. XX.) atque assensum præstan-
 fidei supernaturalis haud exigit (§. XXXIV.)
 Rursus ad proximæ invocationis hujus vel il-
 lius Sancti necessaria non est certitudo fidei
 (§. XLIII.) sed sufficit certitudo moralis. (§.
 XLIV.) Propter quam temerarium est in
 Divis consecrandis Ecclesiæ abrogare fidem
 (§. XLVI.) Igitur Canonizationi Sanctorum
 assensus pius & humilis præstandus est. Af-
 sensus, inquam, pius & humilis, non autem
 divina fides. Nam judicium Canonizationis
 nihil aliud respicit, ac factum a Deo mini-
 me revelatum (§. XXVIII.) quare neque
 per



per se immutabile est , neque ab omni
prorsus erroris periculo immune. Hæc
æquissima , hæc pia est sententia , quum
neque Ecclesiæ auctoritati quicquam detra-
ctum , neque ultra æquitatis leges ei quic-
quam adiectum velit.

S. D. H. E. G.



Errata.

Linea.

Positione V. — 3	netesse	necessitatem
Positione V. — 7	quondo	quando
Positione VI. — 5	dundaxat	duntaxat
Pag. 19 §. XII. — 1	Quum Canonizatio	Quum Canonizatio
		fit
— 20 Schol. — 12	hic admirabilis	hic fuit admirabilis
— 23 Schol. — 2	Pozzis	Pazzis
— 60 — 7	in Sacris Literis. five	in Sacris Literis, five

Corrigere.







